

M. IO. CHRISTIANI KOEHLERI
V. D. M.

COMMENTATIO
DE
VERA AC RECTA
COMPARATIONE
RATIONIS ET FIDEI

Von der
Wahren und richtigen Uebereinstimmung
der Vernunft und des Glaubens.



LIPSIÆ, APVD CHRISTIAN. SCHROETERVM,
A. S. R. MDCCCXXXI.

Philos.

C.

212,24

M. IO. CHRISTIANI KOLLIERI
V. D. M.

COMMENTATIO
DE
VERA AC RECTA
COMPARATIONE
RATIONIS ET FIDEI

in qua
comparatur
vera ac recta
comparatio
rationis et fidei



LIBR. V. D. M. KOLLIERI

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



PROOEMIUM.

BIBLIA Werthemensia postquam in vulgus edita sunt, multaque in illis inesse obseruarunt eruditi, quae dubium facere possent animum: multi docti viri, quae desiderent in iisdem, aperuere. * Plurimi ipsa, quae ex Hebraeo in Germanorum conuersa sermonem, atque annotata sunt, examinarunt. ** Sed auctor primum legenda praecipit, quae in praefatione praemuniuntur ipsi tractationi, fundamentaque iacta statuit prius subuerenda, quam ad ea respondere debeat, quae obiiciuntur. Multis itaque in optatis fuit, praefationem legere accurate ponderatam. Quidam eam ad veritatem coeperunt reuocare ***; at multa adhuc videntur disputanda. Quum igitur specimen studiorum academicorum ac diligentiae esset dandum; hanc separatim pro nostra parte tractandam sumimus, quod omnium intersit conseruari scripta sacra sincera atque integra. Totam expendere praefationem nimis longus erat labor; et, quae ad theologiam pertinent, ex professo nobis non licebat tradere: quae ergo ex philosophia repetita sunt, ad vera eius praecepta erunt perpen-

* Vide clarissimi viri M. IO. NICOLAI SINNHOLDI, *historiam bibliorum Werthemensium*, cuius tres iam partes foras datae sunt.

** Ad horum numerum referre poteris, quos adfert idem vir clarissimus *part. I. p. 37. seqq.*

*** Factum hoc est a *Sincero Pistophilo*, vel doctissimo OEDERO, in *annotat. in quibus praefationem interpretis Werthemensis examinavit anno 1736.* cui respondit praefationis auctor eodem anno.

perpendenda. Res has interim accurate solideque tractare voluimus, ante constitutis veris principiis, ab omnibus facile recipiendis; quae vero ita comparata sunt, ut in ipsa vera et recta comparatione rationis et fidei possent adhiberi: quapropter hanc potius duximus tradendam, atque deinde ad scripta quaedam recentiorum, et quae praefatus est interpres Werthemienfis, accommodandam illustranda et examinanda. De hac comparatione multi iam egerunt,* sed non semper veras de ratione et fide habuere notiones, aut ceteroquin in aliqua re peccarunt, ut extrema docebunt. Haec commentatio grauissima, et si cuncta speciatim attingere velis, amplissima quoque erit. Ne igitur commentationis transcendamus fines; fundamenta tantum illius comparationis ponere voluimus, quibus deinde et nostra et alia possunt superstrui. Fidem in scriptis sacris quaesivimus; atque ratio nihil ad se pertinere putat, quod non a re ipsa sit repetitum; quam merito omnes magistram ac ducem sequuntur philosophi. Non omnia denuo demonstranda credidimus pronuntiata; quia cel. LEHMANNVS in institutionibus suis nobis fecit otium, quas ideo saepius citauimus. Verborum significationes ad loquendi usum accommodatae sunt, cuius vestigia apud veteres, medios et recentiores apparent, ut ab omnibus intelligeremur facilius. Quando generalia transtulimus ad specialia, sine villo partium studio, aut peruerso hoc factum est adfectu. Cuncta vero ad tria reuocauimus capita, quorum *primum* tractabit de comparatione rationis et fidei generatim; *secundum*, de vera ac recta speciatim; et *tertium*, de iis, quae ab illa propius absunt, aut longius recedunt. Faxit summum Numen, ut et hoc negotium prouehat honorem DEO reddendum, hominumque salutem!

CAPVT I.

* Vide cap. III. comment.

CAPVT I.
DE
COMPARATIONE RATIONIS ET FIDEI
GENERATIM.

§. I.

HOMINVM ex effectis, quae experientia quemuis docet, efficiunt, atque concludunt, eos ex anima rationali constare et corpore, illi accommodato.

Observ. Accipimus hic ab aliis exquisitis confirmatum rationibus. Comparandus inter alios est, qui dedita opera hanc sententiam pluribus corroborare argumentis, atque contrarias refellere studuit opiniones, S. C. TEVBERVS in *moderato iudicio de quaestione theologica, an dentur tres partes hominis essentialis?* Non omnia probamus in medium ab eo prolata; nec, satis proposito eum fecisse, dicimus: fructum tamen quemdam ex ea commentatione percipi posse, quilibet perspiciet. Addantur PRAESIDIS *instit. phys. p. 93. seq.* et *Logice Germanorum sermone conscripta p. 87. seqq.*

§. II.

Ex animae illius (§. I.) actionibus intelligimus, in ea inesse facultatem appetendi et agendi, quae bona sunt aut videntur, atque fugiendi ac omittendi, quae mala sunt aut ita videntur. Hanc significatione latius patente appellant voluntatem (I.). Haec vel res incorporales, et quae sensibus non percipiuntur, appetit aut auerfatur, adeoque sine corpore agit; vel res corporales et sensibus subiectas; atque sic interueniente corpore agit, teste experientia. Illis in exemplis vocatur κατ' ἐξοχήν voluntas; in his vero, appetitus sensitivus (II.). Ab hac facultate proficiscuntur propensiones, et aliae actiones, teste eadem; quibus alia significatione etiam voluntatis nomen est impositum (III.)

Obs. I. Confirmavit haec PRAESES in *instit. philos. mor. p. 17. seqq.* et in *phil. mor. Germanorum sermone tradita p. 131. seqq.* ac speciatim p. 146. seq. Conf. BVDDEVS in *instit. theol. moral. part. I. cap. 1. sect. III. §. 1.*

B

Obs. II.

Obs. II. Idem PRAESES videndus in *instit. cit. p. 19. seq.* et in *philos. moral. p. 136. seqq.* et *p. 152. seqq.* CONR. HORNEIVS *philos. moral. lib. II. cap. III. §. 1. Voluntas*, inquit, *nihil est aliud, quam animae rationalis appetitus, multumque differt ab appetitu sensitivo.*

Obs. III. Plerique docti et indocti per voluntatem et facultatem, et propensionem aliamque eius actionem, intelligunt; id quod vsus vitae communis et scripta nos docebunt. Sed Stoici in primis voluntatem esse statuunt appetitionem, teste CICERONE *lib. III. Tusc. quaest. cap. VI.* Celeb. LEIBNITIVS in *tentam. Theodicaeae part. I. §. 22.* voluntatem generatim definit propensionem; quem sequitur celeb. WOLFIVS in *metaph. §. 492.*

§. III.

Ex actionibus cognitionis eiusdem animae colligitur quoque, in ea inesse facultatem quidquam cognoscendi, quam significatu latius patente *intellectum* appellant (I.). Et quia, teste experientia et inductione, cunctae actiones simplices ad tres, nempe ideas, iudicia et retinentiam, reuocari possunt; *tres facultates speciales*, aliquid nempe repraesentandi, iudicandi et retinendi, potestatem, ex iis elicere solent (II.).

Obs. I. Hac significatione ad intellectum omnia rediguntur, quae ad voluntatem (§. II.) ac facultatem antiquorum locomotiuam dictam referri nequeunt. Vide IAC. THOMASIVM in *phys. cap. XLVIII. §. 2. et 9.* G. P. ROETENBECCIUM in *Log. vet. et noua part. I. §. 3. et 6.* et celeb. WOLFIVM in *annot. ad Met. §. 277.* Conf. PRAES. *instit. cit. p. 22.* et *Logic. p. 90. seqq.*

Obs. II. Vide PRAES. *instit. log. p. 24.* et *Log. p. 92. seqq.*

§. III.

Haec facultas quidquam cognoscens (§. III.), teste experientia, vel res incorporales cognoscit, adeoque sine corporis subsidio agit; vel res corporales considerat interuenientibus illius membris, vel internis tantum, vel etiam externis. In illis exemplis, quod cum membris corporis in actionibus suis non sit coniunctus, sed solus agat intellectus, quidam eum vocarunt *purum* (I.), eiusque facultates speciales (§. III.) *puras*: in his vero, quia cum membris illis est consociatus, atque non solus agit, *impurum* eum quoque

que appellarunt, eiusque facultates speciales *impuras* (II.).
 Illum etiam κατ' ἐξοχὴν intellectum vocant, quem fecernunt
 hac ratione ab *imaginatione* et *sensu* nempe externo (III.).

Obs. I. Lege e. c. ANTON. LE GRAND in *instit. philos. part. I. cap. III. §. 5. 6. et 8.* In ultima §. *tribus tantum modis*, inquit, *anima humana res apprehendit*, intellectu puro, imaginatione et sensu. Intellectus ipsi non est facultas, sed species cognitionis (*l. c. §. 5.*), attamen suo modo ad testimonium citari potest.

Obs. II. Vide BVDDVEM in *elem. phil. instrum. part. I. cap. I. §. 43.*

Obs. III. LE GRAND in *instit. part. VIII. cap. V. §. 2.* ait: *Nomine intellectus nihil aliud intelligi debet, quam ea facultas, per quam mens absque specie aliqua materiali apprehendit quaecunque obiecta, siue illa immaterialia sint, siue corporea.* REGNERVS A MANSFELD in *elem. rectae ratiocinationis part. I. cap. II. §. 13.* *Mens*, inquit, *simpliciter intelligit, cum ideas seu conceptus in se habet, sine ullo requisito corpore, easque cum conscientia percipit.* Hos sequi videtur celeb. WOLFIVS in *Met. §. 277.* *Das Vermoegen das moegliche deutlich vorzustellen ist der Verstand. Vnd hierinnen ist der Verstand von denen Sinnen, vnd der Einbildungs-Krafft unterschieden, daß wo diese allein sind, die Vorstellungen nur hoechstens klar, aber nicht deutlich seyn, hingegen wo der Verstand darzu kommet, dieselben deutlich werden.*

§. V.

In intellectu tres sunt facultates speciales (§. III.), quae, si solus agit, *purae* vocantur (§. IIII.); omnium autem, teste experientia, ita obseruantur actiones (§. III.): tres ergo erunt intellectus facultates *purae* (f. II. argum.). His si distincta imponere velis nomina, vsus loquendi non repugnabit, si facultatem quidquam sibi repraesentandi, quae prima est, *ingenium* restrictiore sensu dictum; facultatem iudicandi et ratiocinandi, vtpote secundam, *iudicium purum*; et facultatem hoc retinendi, quae tertia est, *memoriam* ita dictam *mentalem* nominare placeat.

Obs. Confer. PRAES. *instit. log. p. 25.* et *Log. p. 93.*

§. VI.

Facultates intellectus *impurae* agunt quidquam auxilio membrorum corporis, et primum quidem interiorum
 B 2 (§. IIII.).

(§. IIII.). Hoc vero modo omnes tres agere quidquam obseruamus; tres ergo erunt facultates impurae internae (f. II.). His igitur si quoque distincta tribuere velis nomina, vsu loquendi duce primam vocabis *imaginationem*; secundam *iudicium impurum internum*, et tertiam *memoriam*, vt cum aliis loquere, *sensualem* (f. II.).

Obs. Confer. PRAES. *instit. log. p. 26. et Log. p. 94.*

§. VII.

Facultates intellectus praeter membra corporis interna etiam saepius adhibent *externa* (§. IIII.). Experientia vero nos docet, primam et secundam tantum his vti instrumentis; duae ergo tantum erunt facultates impurae externae (f. II.).

Obs. Compara PRAES. *instit. log. p. 27. et Log. l. c.*

§. VIII.

Quando homines aliquid *sentire* se credunt, instituto examine apparebit, intellectum tantum auxilio membrorum corporis quidquam cognouisse. *Sensus* ergo nihil aliud sunt, quam facultates intellectus impurae (f. II. coll. §. IIII. seqq.). Quae ergo de facultatibus illis internis (§. VI.) et externis (§. VII.) dicta sunt; ea quoque de *sensibus internis* atque *externis* dicenda erunt (f. II.).

Obs. Vide PRAES. *in instit. log. p. 26. seq. et Log. p. cit. seq.*

§. VIII.

Actionum animae et corporis (§. I. seqq.) probe conscius sumus, causas earundem ac facultates iam dictas etiam negare non possumus (f. II.), immo multarum rerum quoque conscius sumus, quae ex his efficiuntur et concluduntur (f. II.) aut iis accidunt. Extra nos multa quoque obseruamus,

ex

ex quibus intelligimus, extra nos esse et corpora et spiritus, immo ipsum DEVM, et quae in his insunt; quae nobis physica tradit et theologia naturalis. Haec omnia intellectu nostro (§. III.) agnoscimus ita, vt non percipiamus, summum singulari et supernaturali dicto modo nobis ea patefacere Numen.

§. X.

Qui sacra recte scrutantur scripta, fatebuntur inuenisse se multa, quae iam praecedenti modo cognita (§. VIII.) atque sic repetita sunt; sed patefacta quoque esse alia, a praecedentibus omnino diuersa, probe intelligent.

§. XI.

Quando intellectu nostro prioris generis res (§. VIII.) agnoscimus, *notitia* nostra vocatur *naturalis*, et significatione latius patente, *philosophia*.

Cbs. Veteres philosophiam exotericam quoque suo modo referebant ad philosophiam; id quod historia philosophiae nos docet.

§. XII.

Quando vero intellectu nostro, singularibus DEI subsidiis instructo, cognoscimus res posterioris generis (§. X.) *notitia* dicitur *supernaturalis* et *theologia reuelata*.

§. XIII.

Vsus rerum nos docet, quosdam homines cognitionem naturalem (§. XI.) accipere vel ex exemplis et institutione aliorum puerili, vel ex contemplatione quidem rerum (§. VIII.), sed qua tantum res, vt existunt, earumque proprietates quaedam et fortuita, agnoscuntur, non autem causa et modus, quo fieri solent, indagantur, nec accuratae distinctaeque ideae, eiu demque generis iudicia, nec ex his conclusiones accurate efficiuntur atque iis recte demonstrantur. Haec *notitia naturalis*, quia omnibus facile communis est homi-

nibus, etiam vulgo, *vulgaris* vocatur. Sed, teste eodem, alii non modo priora, verum etiam posteriora curant accuratamque habent notitiam, quam *exquisitam* appellant (I.). Haec utpote accuratior atque firmior maiori iure philosophia nominari meretur; et cum a potiori saepius res denominentur: κατ' ἐξοχήν haec a multis vocatur *philosophia* (II.).

Obs. Haec, quae diximus, primum obseruarunt viri docti in *theologia naturali*; hinc *vulgarem* ab *exquisita* fecernere inceperunt. Ita quidem IO. MVSÆVS in *introduc. in theol. cap. II. §. 23.* *Adquisita notitia DEI*, inquit, *vel vulgaris et communis, vel exquisita et accurata est.* *Vulgarem et communem dico confusam quamdam de DEI existentia et attributis notitiam, qualis vulgo omnibus, etiam simplicioribus, qui demonstrationum capaces non sunt, inesse solet.* *Exquisitam et accuratam dico notitiam distinctiorem de existentia et attributis DEI, quae suis certis, ex natura petitis, demonstrationibus nititur.* Et §. 24. *Vulgaris et communis comparatur vel ex aliorum testificatione, vel ex intuitu huius vniuersi, per consequentiam quidem, sed facilem et cuius, etiam litterarum rudi, obuiam.* Adde, quae sequuntur, et quae explanant praecedentia. Atque §. 25. *Exquisita et accurata comparatur etiam ex consideratione huius vniuersi, sed exactiori.* *Notitia haec non est omnium hominum, sed eruditorum, qui disciplinis et scientiis philosophicis bene imbuti existentiam et attributa DEI a posteriori et ex effectibus accuratius demonstrare, et atheorum obiectiones et exceptiones solide refutare possunt.* *Theologia naturalis autem ista tam late patens erat, ut omnem fere complecteretur philosophiam, ut ex eodem MVSÆO l. c. §. 34. seqq. discas, hinc facile illa distinctio ad totam accommodari poterat notitiam naturalem, ut alia esset vulgaris, alia exquisita.* Vestigia huius rei inuenies iam apud antiquissimos philosophorum, quippe qui *exotericam* philosophiam separarunt ab *acroatica*. *Historia philosophiae haec te facile docebit.* Vide inter alia PRAESIDIS *obseru.* quibus celeb. BVDDI illustrantur elementa philosophiae, *tom. I. p. 139. seqq. p. 203. seq. p. 228. p. 293. 302.* et alibi. Hodie eodem modo cognitionem *vulgarem* ab *erudita* solent distinguere. ANDREAS RIDIGERVS in *sensu veri et falsi lib. I. cap. III. in obs. I. ad inscript.* Duo, inquit, sunt in vniuersum cognoscendi modi, *vulgaris per sensus, et eruditus per abstracta.* *Neuter modus negligendus est, primus enim cum alia multa exhibet vtilia, tum et principia et fundamenta secundi.* *Hinc et coniungendi hi duo modo sunt: alter enim alterius corrigit vitium.* *Scilicet omnis cognitio sensualis confusa est, omnis abstracta, obscura est: sed confusionem cognitionis sensualis tollit abstractio, cognitionis abstractae obscuritatem claritati reddit sensio, seu reductio ad sensationem.* *Si alteram cognitionem velis historiam dicere et putare, alteram philosophiam non errabis.* *Conf. lib. III. cap. I.*

cap. I. §. 7. not. f). Celeb. WOLFIVS a vulgari, quae ipsi est *historica*, fecerunt non modo *philosophicam*, sed et *mathematicam*. Ita enim in *Logica* maiore et quidem in *discursu*, quem vocat, *praelim. cap. I.* tres illas definit cognitionis species. *Cognitio*, inquit, eorum, quae sunt atque fiunt, siue in mundo materialibus, siue in substantiis immaterialibus accidant, *historica* nobis appellatur (§. III.). *Cognitio rationis* eorum, quae sunt, vel fiunt, *philosophica* dicitur (§. VI.). *Cognitio quantitatis* rerum est ea, quam *mathematicam* appellamus (§. XIII.). Has tres species eo differre inter se statuit: *Historica* adquiescit in nuda facti notitia; in *philosophica* vero reddimus rationem eorum, quae sunt vel esse possunt (§. XVII.), ut intelligatur, cur istiusmodi quid fieri possit (§. VII.), in *mathematica* denique determinamus quantitates, quae rebus insunt (§. XVII.). Primam, ait, sensuum beneficio cognoscimus, quae in mundo materiali sunt, atque fiunt, et mens sibi conscia est mutationum, quae in ipsa accidant (§. I.). Primam secundae fundamentum praebere (§. X.) atque hinc illam non esse neglegendam, sed praemittendam huic, aut coniungendam cum hac (§. XI.). Illius usum esse amplissimum (§. XII.). Aliquando primam, aliquando secundam mathematicae esse fundamentum (§. XVIII.). Et quae alia sunt.

Obs. II. Huius rei vestigia docti iam agnoscere voluerunt in definitione Philosophiae Pythagorae, qui eam definebat $\gamma\nu\omega\sigma\iota\nu\ \tau\acute{\omega}\nu\ \acute{\omicron}\nu\tau\omega\nu$, teste PACHYMERIO *init. cap. II. lib. I. epit. in Arist. tit. I.* Per $\tau\acute{\alpha}\ \acute{\omicron}\nu\tau\alpha$ vero intelligebant, quae alii forte $\nu\omicron\eta\tau\acute{\alpha}$, quae mente intelligimus, appellant, et a quibus fecernunt $\tau\acute{\alpha}\ \alpha\iota\delta\eta\tau\acute{\alpha}$, quae sensibus percipimus. Erant ergo *incorporea*; quod pluribus testimoniis veterum confirmavit IO. SCHEFFERS *de philos. Ital. cap. VIII. p. 56. seqq.* Et $\gamma\nu\omega\sigma\iota\varsigma$ illa non erat qualiscunque notitia, sed quae $\acute{\epsilon}\pi\iota\sigma\tau\acute{\eta}\mu\eta$, *scientia* quoque vocabatur, cuiusque contrarium erat $\delta\acute{\omicron}\xi\alpha$ *opinio*, ut nos docet PLATO *lib. V. de rep. p. 667. seq. edit. Wechel. anni MDLXXII.* Haec versabatur in illis, quae vocabantur $\alpha\iota\delta\eta\tau\acute{\alpha}$; illa vero in iis, quae $\nu\omicron\eta\tau\acute{\alpha}$ appellabantur, ut suo modo ex eiusdem discimus *lib. VII. de rep. p. 705.* Haec omnia et alia quoque adfert IAC. THOMASIVS in *schediasm. histor. de definit. philos. seu in origin. hist. philos. et eccles. §. 22. seqq.* CLEMENTE Alex. *lib. I. Strom. p. 284.* teste, *causarum inquisitionem et investigationem* Pythagoras quoque ad philosophiam referebat. Iudice enim SCHEFFERO *l. c. p. 41.* illius et haec est definitio, qua sapientia, quae nobis philosophia dicitur, est $\acute{\epsilon}\pi\iota\sigma\tau\acute{\eta}\mu\eta\ \theta\epsilon\acute{\iota}\omega\nu\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\acute{\iota}\omega\nu\ \kappa\alpha\iota\ \tau\acute{\omega}\nu\ \tau\acute{\epsilon}\tau\omega\nu\ \alpha\iota\tau\acute{\iota}\omega\nu$, *scientia rerum diuinarum et humanarum causarumque earundem.* ARISTOTELES *lib. III. (vel III.) Metaph. cap. II.* ait: $\tau\acute{\omega}\nu\ \xi\iota\sigma\tau\acute{\iota}\omega\nu\ \delta\epsilon\omicron\iota\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \acute{\alpha}\rho\chi\acute{\alpha}\varsigma\ \kappa\alpha\iota\ \tau\acute{\alpha}\varsigma\ \alpha\iota\tau\acute{\iota}\alpha\varsigma\ \acute{\epsilon}\chi\epsilon\iota\nu\ \tau\acute{\omicron}\nu\ \Phi\iota\lambda\acute{\omicron}\sigma\phi\omicron\nu.$ *Philosophus debet principia substantiarum et causas habere perspecta.* Hinc AMMONIVS in *Porphyr. (in BERNARDI seminario philos. Aristot. p. 1021.)* Philosophia, inquit, est rerum diuinarum atque humanarum, causarumque, quibus conti-

uentur

2111

nentur cognitio. Ipse CICERO lib. II. offic. cap. II. ait: Sapiencia est (ut a veteribus philosophia definitum est) rerum diuinarum et humanarum, caussarumque, quibus hae res continentur, scientia. Et lib. III. cap. XXVI. adfirmat, sapientiam esse rerum diuinarum et humanarum scientiam cognitionemque, quae causa cuiusque rei sit. Hos recentiore aetate imitari voluere, et primum quidem physici. Quum nempe ARISTOTELES lib. I. de partib. animal. c. I. dixisset: Videtur inde incipiendum esse, ut primum phaenomena sumantur circa unum quodque genus, deinde eorum caussae dicantur et gignendi modus; sic illi, interprete IO. CHRISTOPHORO STURMIO in phys. hypoth. praelim. art. I. §. 2. physicam vocantes scientiam, non intelligebant tantum sensualem illam et experimentalem phaenomenorum notitiam - - sed illam praecipue humanae menti desideratissimam et philosopho dignam indigitabant cognitionem, quae phaenomenorum et obseruatorum istorum rationes, caussas, modos, origines, quoad eius fieri potest, apprehendat, et ex principiis indubiis prorsus, immotis ac veris, aut vero saltem proximis, legitima consequentia deducat. Celeberr. WOLFIVS in praefat. aerometriae praefixa: Philosophiam, inquit, ego definire soleo per rerum possibilium, qua talium, scientiam. Philosophi igitur est, non solum nosse, quae fieri possint, quae non; sed et rationes perspicere, ob quas aliquid fieri potest, vel esse nequit. Scire enim est res per caussas cognoscere. (quod pronuntiatum ARISTOTELIS est I. post. anal. c. II. n. 1.) Conf. eiusd. Logica maior §. 29. In minore, quae Germanorum fermone conscripta est, in prooemio §. 1. distinctius cogitata verbis exprimit sequentibus: Die Weltweisheit ist eine Wissenschaft aller moeglichen Dinge, wie vnd warum sie moeglich sind. Hac in definitione et modi et caussarum fecit mentionem ANDREAS RIDIGERVS in philof. pragmatica §. 1. hanc adfert philosophiae definitionem: Philosophia est cognitio, quae sensui seu experientiae insistendo, hinc eos generales fines, et ea media generalia eruit, quae sensu et experientia, immediate cognosci nequeunt: ut DEVS tanto rectius colatur, et tranquillitas seu acquiescentia, humani generis, sicubi deficiunt, media cognitionis vulgaris, mediis cognitionis eruditae promoueat. In obseru. adiecta addit: Posset etiam philosophia dici, cognitio earum qualitatum atque quantitatum, quae cognitionem vulgarem fugiunt, et nihilominus ad cultum DEI, felicitatem et acquiescentiam humani generis pertinent. Conf. quoque celeb. HEVMANNI definitio part. I. act. philos. n. III. §. 3. Quilibet autem ex his intelliget, definiiri hic notitiam naturalem exquisitam, quae secernitur a vulgari; non eam, quae a theologia, singulari ratione patefacta, distinguitur. Non sine graui causa haec esse adlata, sequentia docebunt.

§. XIII.

Quae de notitia naturali diximus (§. praeced.) eadem, paucis mutatis de notitia quoque singulari modo a DEO patefacta atque theologia (§. XII.) erunt dicenda. Obseruamus

mus

mus nempe, quosdam quia, quae eos circumstant, alia non permittunt, tantum fundamenta eorum, quae ad honorem DEI prouehendum nostramque in primis summam atque aeternam necessaria sunt salutem, atque singulari modo a DEO patefacta, ex aliorum relatione, vel propria quidem lectione scriptorum sacrorum, sed simpliciore cognoscere. Ad haec referuntur, quae ab auctore epistolae ad Ebraeos cap. V, 12. τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῷ θεῷ; et cap. VI, 1. θημέλιον adpellantur, quae comparat cum lacte, quo infantes aluntur (cap. V, 12. seq.). Et quia omnes homines, etiam e vulgo, et qui non satis in his exercitati sunt, hac notitia instructi sunt, *vulgaris* vocari potest. Quoniam vero et κατηχημένος (Actor. XVIII, 25.) ab ita dictis *catechetis* imbuitur his doctrinis, has vocant *theologiam catechetica*. Alii, quibus est occasio, aut quorum postulat munus, interuenientibus principiis interpretationis ipsorum verborum sanctorum, quibus vsus est DEVS ac speciatim spiritus sanctus, verum inuestigant sensum, atque ex his rerum singulari ratione patefactarum, quae ad honorem DEI et salutem nostram maxime aeternam cognitu necessariae sunt aut vtilis, accuratas efficiunt ideas ac notiones, definitiones ac diuisiones, ex his accurata iudicia et axiomata, atque ex his eiusdem generis efficiunt ratiocinationes ac demonstrationes, vt cunctae inter se doctrinae aptae ac connexae sint ad docendos alios vel refellendos. Hanc notitiam appellare possumus *exquisitam*, quae comparatur cum *cibo solido* (Ebr. V, 12. 1 Cor. III, 2.), quae accommodata illis, qui exercitati sunt (Ebr. V, 14.), et digna est, quae nominetur *acroatica*, vel, vt alii loquuntur, *acroamatica* (I.). Atque cum haec notitia maiori iure theologia vocari mereatur, et a potiore res denominari saepe soleant, haec κατ' ἐξοχὴν *theologia* appellatur (II.); eique nomen *scientiae* generali tribuitur significatione (III.).

€

Obs. I.

Obs. I. B. ABRAHAMVS CALOVIVS in *system. proleg.* p. 11. *Theologia*, inquit, *distribui potest in catechetica, seu rudior, et acroamaticam vel accuratior.* Conferantur IO. FRID. KOENIGIVS in *theol. pos. acroam.* et quidem *praecogn.* §. 27. ubi illam ab omnibus requirit christianis; hanc vero a ministris coetus christiani ac doctoribus; *theologi* item *Lipsienses* in *append. confil. Dedek.* p. 136. Adde B. IO. MVSÆVM in *introduc. cit. cap. III. thes. III. §. 6.* et IO. PAVLLVM HEBENSTREITIVM in *system. theol. prolegam. c. I. thes. I.* Quilibet videt, *theologiae* vocabulum sensu latius patente hic adhiberi, quo omnem notitiam significat rerum singulari ratione a DEO patefactarum. CALOVIVS l. c. ait: *Εἰσι θεολογίαι πλεονεχὲς κατ' ἐξοχὴν dicantur, qui accuratior sibi compararunt in sacris notitiis, nullum tamen dubium est, quin etiam catechetae, qui rudiores de religione instruere, et ad salutem perducere queunt, citra ἀκρολογίαν theologi dicantur, ideoque distinctio haec non est pure nominalis; sed realis.*

Obs. II. Ipse CALOVIVS verbis praecedentibus agnovit vocis *theologiae* restrictiorem sensum. Comparandi quoque MVSÆVS l. c. *cap. I. thes. I. cap. II. thes. II.* et *cap. III. §. 6.* BAIERVS in *compend. theol. pos. proleg. cap. I. §. 1.* BVDDEVVS in *instit. theol. dogm. lib. I. cap. I. §. 38. et 48.* atque *theologi Lipsienses* l. c.

Obs. III. Optime B. IO. MVSÆVS in *introduc. in theol. cap. III. thes. III. §. 5.* Si ad scientiam simpliciter et proprie requiras, ut causam, per quam res est, quodque eius causa sit, ut aliter se habere nequeat, evidenter et ex principiis per se notis cognoscamus, sicut communiter auctores volunt (quamvis id nec usus loquendi nec ex eo deprompta notio scientiae praecise exigere videatur), tum dicendum erit, *theologiam* non esse scientiam simpliciter, proprie et in rigore, sed in sensu minus proprio et laxiori, prout scientia dicitur quaelibet cognitio rei certa, ex principiis certis, immotis, et quibus falsum subesse non potest, nata, siue principia evidenter et per se nota sint, siue aliunde certo et infallibiliter innotescant. Atque si dicendum, ut res est, ARISTOTELES, quem plerumque hac in re sequuntur, I. *post. analyt. cap. II.* ubi dedita opera de scientia tractat, ad eam generatim tantum sequentia refert: Scire putamus unamquamque rem simpliciter, non sophisticato modo, id est, ex accidenti, cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, eius rei causam esse, nec posse eam aliter se habere. Atque paucis interiectis: *Ὡς ἂν ἀπὸ λῶς ἐστὶν ἐπιστήμη, τῆ δ' ἀδύνατον ἄλλως ἔχειν.* Quapropter id, cuius simpliciter est scientia, non potest aliter se habere; seu, contrarium non potest esse verum. Et quibusdam interpositis: *Φαμέν δὲ (ἐπίστασθαι) καὶ δι' ἀποδείξεως εἰδέναι.* Sed (scire) dicimus etiam, per demonstrationem cognoscere. Et quid frequentius occurrit, quam cognitionem quamvis reuocari ad scientiam et opinionem. Haec est cognitio verisimilis, cuius contrarium etiam verum esse potest; illa est cognitio quaevis certa. Quia itaque ea, quae in *theologia* tractantur etiam suas habent causas, et rationes singulari ratione patefactas, atque sic
theo

theologia potest demonstrari et certa esse, quod experientia quemuis docebit; *scientia* quoque dici potest (f. 11.). Distinctius haec ante oculos posuit B. IO. MVSÆVS l. c. Notanda sunt, quae B. G. MYLIUS *posit. de verbo DEI et script. sacr. thes. I.* (apud B. BAIERVM in *compend. theol. posit. proleg. cap. I. §. 15. b*) adfert: *Quemadmodum quaelibet scientia ex suis principiis per probationem et demonstrationem conclusa emergit; ita theologiae in religione christiana suum quoque esse principium.* Et in *pecul. disp. dedita opera tradidit methodum τῆς Θεολογικῆς ἀποδείξεως*, atque statuit, ἀποδείξειν, tametsi serpat per omnia scientiarum genera, tamen nusquam perfectiorem haberi, quam in theologia, in qua propter reuelationem diuinam tanta sit certitudo, ut par maioriæ dari non possit. B. BVDDEVS in *instit. theol. dogmat. lib. I. cap. I. §. 42.* Longe quoque, inquit, certissima est haec cognitio, idque eandem ob causam, ob quam pro verissima habenda. *Est enim, praesertim in mysterijs, desit euidentiæ obiecti, quae in rebus, rationis captum non excedentibus, efficit, ut earum longe certissima sit cognitio; adest tamen euidentiæ testimonij, et quidem diuini, cuius ea vis est, et efficacia, ut nec mathematicae demonstrationes, quantumuis euidentiissimae, certiores credi debeant.* Vfus horum, quae graui quoque de causa attulimus, in sequentibus ante oculos proponetur.

§. XV.

Ea, quae ad philosophiam pertinent, eruditi interueniente *ratione* cognosci statuunt; atque hinc ipsa quoque saepius vocatur *ratio*. Quae vero tantum singulari ratione a DEO patefacta sunt, ea non posse nos accurate loquendo scire, sed debere *credere*; atque eam ob causam illa et theologiam ipsam saepe vocant *fidem*.

§. XVI.

Rationem et *fidem* inter se conferre studuerunt multi docti viri, sed dispari instituto ac proposito; ut vel ex sequentibus intelligetur. De vera autem et recta differere animum induximus; quae ergo minus recta ac vera dicenda, ab illa est secernenda. Ne autem, cum in primis in philosophicis versabimur contemplationibus, a vero nos auocet falsa persuasio, aut aliorum auctoritas, *rem ipsam* maxime sequemur magistram ac ducem (§. XI.). Non nulla tamen ex *scriptis addemus sacris*, ut maiorem ex nostra tractatione percipiamus fructum (§. XII.).

§. XVII.

Comparatio generatim est, quando vnum comparatur cum alio; vel vnum refertur ad aliud (per defin. ontol.). *Comparatio* ergo *rationis* et *fidei* erit, quando ratio comparatur cum fide; vel ratio refertur ad fidem (f. I.).

§. XVIII.

Veritas a philosophis triplex statuitur, ita dicta *metaphysica*, *logica*, et *ethica*. Illa vocatur etiam *veritas essentiae*, quando res habet partes ad essentiam suam pertinentes (instit. phil. pr. p. 22.). *Ista* est vel *veritas cognitionis*, quando cogitata nostra congruunt principiis, ac speciatim in philosophia rei ipsi (instit. log. p. 57.), vel *propositionis*, quando haec iisdem est conueniens; *haec* tandem est *veritas sermonis*, atque vsus huius legibus congruens (per defin. nom. instit. iur. natur. p. 114.).

§. XIX.

Rectum vocatur, quod legibus est conueniens (per princip. I. N.). *Recta* ergo *comparatio rationis* et *fidei* erit illa, quae cum legibus conueniet (f. I.).

§. XX.

Leges sunt vel *naturales*, vel ita dictae *positivae*; atque hae vel *diuinae*, vel *humanae* (obs. P V F E N D O R F. p. 115.).

§. XXI.

Leges humanae moderantur ea, quae pertinent ad illa officia accuratius et promptius exsequenda, quae faciunt ad conseruationem maioremque commoditatem ciuitatis (instit. iur. nat. p. 156.) in comparatione ergo nostra ipsae non versantur dirigenda (f. II.)

§. XXII.

Leges diuinae ita dictae *positivae*, tam *particulares*, quam *vniversales*, non faciunt mentionem nostrae *comparationis*

rationis

rationis (teste inductione) ad illas ergo dirigi nostra non potest comparatio, nec iisdem examinari (f. 11.).

§. XXIII.

Praeter has adlatas nullae aliae dantur leges, quam *naturales* (§. xx.). Hae vero in omnibus recte vtendis verfantur, in primis, quae spectant ad philosophiam (instit. iur. nat. p. 15. seqq.), recta ergo nostra erit comparatio, quae legibus conueniens est naturalibus (f. 11. coll. §. xviii.).

§. XXIII.

Qui leges naturales a suis fontibus ducit, perspiciet eas, quae verbis expressae sunt, atque ideo *explicitae* vocari merentur (instit. iur. nat. p. 18.), si adfirmantes sunt, nihil aliud praecipere, quam quae fini rei cuiusdam recte vtendae conueniunt, et quae idem postulat; si negantes, vetant, quae fini aduersantur (ibid.). Immo, qui penitus cognoscit fines rerum planeque eos perspicit, intelliget, omnia, quae ad vim et naturam legum naturalium referri possunt, inesse in ipsis illis rerum finibus (instit. iur. nat. p. 19. seq.). In quo vero est natura legum naturalium, et cui tribui potest illarum accurata definitio, illud quoque est lex naturae accurate proprieque dicta (f. 11.), fines ergo rerum erunt leges naturae accurate proprieque dictae, sed *implicitae* (f. 11. coll. instit. iur. nat. p. 18.). Recta ergo erit nostra comparatio, si finibus suis est congruens (§. xviii. f. 1.).

§. XXV.

Finis varias habet notas, quae vel ad eius naturam (instit. ontol. p. 15.), vel proprietates (ibid. p. 20.), vel effectus pertinent. Hinc variae adferuntur eius definitiones. Finis quibusdam est *caussa*, quae bonitate sua cognita *causam efficientem mouet ad sui appetitionem, effectiorem, consecutionem, nec non ad appetitionem, effectiorem vel consecutionem usumue*

eorum, quae ad ipsam efficiendam sunt ordinata (I.). Aliis est id, quod animo intendit causa efficiens (II.); aliis, quod est faciendi propositum (III.); iisdem est operis ipsius propositum (III.); aliis, cui destinata sunt ceterae rei partes ad essentiam rei spectantes (V.); cuius gratia aliquid est (VI.); id, propter quod causa efficiens agit (VII.). Haec omnia ipsi fini rerum conueniunt, atque sic vera sunt (instit. log. p. 57.), sed diuersa illa consideratione eidem tribuuntur.

Obs. I. Vide HEBENSTREITII *philos. pr. p. m. 794. seq.*

Obs. II. Ad hanc referas illud: *Finis est primum in intentione.* Vide STAN-
LII *reg. philos. part. I. disp. VIII. reg. V.* Conf. IAC. THOMASIVS in *dilu-*
cidat. Stablianis h. l.

Obs. III. SENECA *epist. LXV.*

Obs. IIII. *id. ibid.*

Obs. V. Ad hanc referendum illud B. SYRBI in *instit. philos. pr. part. I.*
c. l. §. 20. *Naturam* (quae constat ex ceteris partibus) *rei cuiusuis eius dispositio-*
nem ad suum finem haud incongrue dixeris.

Obs. VI. Secundum ARISTOTELEM finis est ἡ ἐνεκα, item ἀριστὸν
ἡ ἐνεκα, cuius gratia aliquid est vel fit *lib. V. Met. cap. XVI.*

Obs. VII. Illustris WOLFIVS *ontol. §. 932.* *Id, inquit, propter quod causa*
efficiens agit, dicitur finis.

§. XXVI.

Cui res aliqua sua natura destinata est, vocatur *finis per se* (per princip. ontol.), ad quod autem praeter illum homines rem quamdam singulari suo proposito, quod accidere solet, adhibent, dicitur *finis per accidens* (per eadem). Hic varius et multiplex, bonus et malus, esse potest, ut ideo norma esse nequeat; hinc de priore nobis sermo est (f. II.). Alius autem pluribus quoque rebus est *communis*; alius vni rei *proprius* (per princip. ontol.).

§. XXVII.

Leges naturales, quae ex natura DEI, nostra, hominum aliorum, ceterarumque rerum creatarum ac naturalium eliciuntur, vocantur *absolutae*; quae vero ex natura rerum

rerum

rerum intelliguntur moralium et institutorum, dicuntur *hypotheticae* (instit. iur. nat. p. 22. seq.).

§. XXVIII.

Vera ratio, veraque fides sunt a DEO (§. xv.). Comparatio autem utriusque est negotium a viris doctis susceptum (§. xvi.) non ergo est ex prioris generis rerum numero, sed posterioris (f. II. coll. §. praeced.). Ad leges ergo hypotheticas dirigenda erit comparatio (f. II.), et recta erit, quae his conueniens est (f. II.).

§. XXVIII.

Qui res morales et instituta accuratius considerant atque plane perspiciunt, facile obseruabunt, vnam, alteramque rerum *circumstantiam* occasionem cuidam dare instituto, et efficere, vt *necessarium* illud esse intelligatur. Quod autem necessarium est, ad certum necessarium est *finem*. Finis deinde norma est reliquorum speciatim *materiae* cuiusdam rei et *formae* (per princip. ontol.). Sic a primis institutum ducitur causis.

Obs. Fusius atque vberius haec disputauit PRAESES in *instit. iur. nat. l. 6.* et p. 106. seqq. atque in *obs. Pufendorf. p. 292. seqq.*

§. XXX.

Comparatio rationis et fidei est institutum quoddam (§. xxviii.), eadem ergo de ea statuenda erunt, quae de institutis generatim praecepimus (f. I. coll. §. praeced.). Quae rationem fidemque *circumstabant*, praecipue erant, quod multi sibi persuadebant, non necessariam esse fidem, sed sufficere rationem; alii statuebant, *fidem rationi esse contrariam* rationemque nullius amplius esse vsus, sed potius noxiam; alii contra adfirmabant ea, quae ratio docet, esse normam iudicemque illorum, quae fides praescribit, rationemque esse totum, fidemque modo eiusdem partem; omnem modo.

modorum causarumque inquisitionem ac demonstrationem ad rationem pertinere; alii rationi quemdam tribuebant usum, sed exiguum. Et quae cetera sunt, quae res nostras circumstant.

Obs. Illustravit haec quodammodo illustris LEIBNITIVS in dissert. de consensu fidei et rationis §. 6. seqq.

§. XXXI.

Haec opiniones prima statim fronte aliis non videbantur verae; damnaque ab iis metuenda illi perspiciebant. Institutum quoddam ergo et negotium introducatur, *neceffe* erat. Hoc ergo *necessarium* erat (f. II.).

§. XXXII.

Necessarium, quod est (§. praeced.) ad finem quemdam erit necessarium (per princip. ontol.). Fines communes (§. XXV.) sunt DEI honor prouehendus, hominumque salus; sed instituti ac negotii finis proprius (ibid.) speciatim inuestigandus est. His autem rebus circumstantibus (§. XXVIII.) illud ad nullum alium necessarium est, quam ut intelligatur *σχεσις* et *ratio*, qua consentiant inter se ratio atque fides, et qua discrepent, quoque vnaquaeque res habenda sit loco; hic ergo erit finis ille proprius (f. II.).

§. XXXIII.

Si finem hunc contingere debet institutum introducendum atque negotium suscipiendum, versari illud debet in ipsa *ratione et fide* (f. II.). Et illud, ex quo quid constat, aut in quo quid versatur, *materia* vocatur (per princip. ontol. in instit. p. 43. et 47.), ratio ergo et fides erunt nostri instituti ac negotii materia (f. II.).

§. XXXIII.

Finem eundem nemo adipiscitur, nisi alteram referat ad alteram (f. II.). Hoc primum et praecipuum illud est, quo

quo

quo a ceteris distat (§. xvii.). Et quia huius generis res vocatur *forma* (per princip. ontol. in instit. p. 43.) in eodem consistet instituti ac negotii illius forma (f. ii.).

§. XXXV.

Quando vnum refertur ad alterum, vocatur *comparatio*, vel, vt alii loquuntur, *relatio* (§. xvii.) in harum ergo numerum, et velut classem, referendum erit nostrum institutum et negotium (f. ii.). Haec comparatio ergo erit illud institutum introducendum, et negotium suscipiendum (f. ii.).

§. XXXVI.

Hae res, quas adhuc disputauimus (§. xxxii. sqq.) pertinent ad partes nostrae rei ita dictas *essentiales* (§. xviii.). Vbi hae sunt, recteque copulatae, ibi ipsa est *essentia comparationis* (f. ii. §. cit.); *vera* ergo haec est comparatio, *veritate essentiae* et *metaphysica* dicta (f. ii. coll. §. cit.).

§. XXXVII.

Finis nostrae comparationis est, vt perspiciamus *σχέσιν* rationis et fidei (§. xxxii.); haec autem perspicere nequit, nisi *rationem*, *fidem*, et ipsam ita dictam *relationem* ita nobis repraesentemus, vt res est, et postulat (per exper.). Quando vero nostra repraesentatio rei, in qua versatur, est conueniens, vocatur *vera*, *veritate cognitionis* et *logica* (§. xviii.); hac ergo quoque consideratione vera esse debet nostra comparatio (f. ii.).

§. XXXVIII.

Quae inter se comparandae sunt res, vocantur *vera ratio* et *fides* (§. xxxvii.). Per *veram rationem* intelligere debemus *veram philosophiam* atque ea, quae re ipsa magistra ac duce cognoscuntur (§. xi. xv.); per *veram fidem* autem *veram theologiam* et ea, quae ex singulari illa *DEI*

D

pate-

patefactione cognoscuntur (§. XII. XV.). *Vera ergo philosophia et sic ea, quae ex re ipsa manant, atque vera theologia et ea, quae ex illa supernaturali DEI patefactione intelliguntur, inter se comparanda erunt (f. II.).* Haec ergo demum vera erit comparatio, veritate cognitionis et logica (f. II.). Haec praeter ceteris nostro in negotio obseruanda sunt.

Obs. Veram philosophiam e re ipsa esse cognoscendam, breuiter quidem in praecedentibus diximus (§. XI.); quia vero hoc ipsum vnum e praecipuis fundamentis nostrae comparationis est, conferre debemus PRAES. *instit. log.* p. 141. seq. et *Log.* p. 510. seqq. vbi dedita opera hoc confirmavit. De theologia lege illas p. 146. seqq. et hanc p. 579. seqq.

§. XXXVIII.

Haec omnia postulauit finis (§. XXXIII. seqq.), eadem ergo illi erunt congruentia (f. II.) nostraque ipsa comparatio, quae ex his conflatur, eidem erit conueniens (f. II.); quae autem fini conueniunt, *recta* dicuntur (§. XXIII.), hac ergo ratione nostra comparatio quoque erit *recta* (f. I.). Atque haec de vera et *recta* comparatione rationis et fidei generatim.

CAPVT II.

DE

VERA ET RECTA COMPARATIONE RATIONIS ET FIDEI SPECIATIM.

§. XL.

COMPARATIO rationis et fidei speciatim est, quando ipsae doctrinae philosophiae ac theologiae speciales inter se comparantur (per def. nom. coll. §. XXXVIII.).

§. XLI.

Omnes et singulas doctrinas rationis et fidei inter se conferre nimis longum esset, proposito nostro praesenti
non

non conueniens; ordines ergo et velut classes doctrinarum nostrarum animo perlustrabimus.

Obs. Classes doctrinarum, minimum partes, tam philosophiae, quam theologiae, in tabula quadam quasi depinxit PRAESES in *comment. de erudit. obseruat. Budd. praefixa. p. 21.*

§. XLII.

Ratio seu philosophia, omnesque eius doctrinae, cognoscendae sunt ex re ipsa (§. XI. et XV.). Ex iis, quae nos circumstant, atque sic ex re ipsa, vt alibi et ab aliis quoque demonstratum est, colligere omnino possumus *necessitatem singularis ac supernaturalis DEI patefactionis*, et generatim quoque ipsarum rerum ita, vt cum ARNOBIO loquar, *patefaciendarum aut patefactarum*. Et quia nihil respectu alterius necessarium dicitur, quod non ad certum finem est necessarium (§. XXXII.); hunc quoque esse necessarium agnoscimus (f. II.) ac generatim quoque intelligimus, eum patefactioni propositum esse debere finem, vt ea maxime aperiantur, quae e re ipsa non intelliguntur, et tamen, positis iis rebus nos circumstantibus, ad honorem DEO reddendum nostramque summam et aeternam salutem nos debebant manu quasi ducere (f. II.). Quae omnibus rebus aut praecipuis earum speciebus generalibus, ad quas referri possunt res illae patefaciendae aut patefactae, ceteroquin *communia* sunt, facile quoque perspicit philosophia et ratio; quod in sequentibus, quando de ontologia sermo erit, demonstrabitur.

Obs. Legendus PRAESES in *philos. moral. p. 90. seqq.* BVDDEVS item in *elem. philos. pract. part. I. cap. ult. §. 55. seqq.* in primis VINCENTIUS FLACCIVS *cap. II. et III. tract. cui titulus: Philosophiae moralis plenioris fructus praecipuus, qui est agnoscere illius ope philosophiam non sufficere beatitati solidae vlli constituendae, nedum acquirendae, reuelationem vero diuinam ei necessariam certisque signis (in sola religione christiana deprehendendis) a falsa qualibet superstitione distinctam non posse non existere.*

§. XLIII.

Quum vero ceteroquin vna plures sint res, vnoque
D 2
plures

plures modi, teste experientia et inductione, consensuque plurimorum doctorum et indoctorum, minimum ratione vsus aequales, nihil prohibere video, quo minus eius generis res, vsu minimum aequales, inter illas quoque dentur, quae ad finem illum facere, atque sic singulari illo modo patefieri debebant. In omnibus vero rebus, quae alioquin ad rationem referri possunt, nullum adest principium, ac fons cognitionis, e quo intelligere queamus ipsum *modum specialem patefactionis*, et quae rebus patefaciendis *speciatim propria* sunt: *qualis ergo adhibenda, aut adhibita sit speciatim patefactio, quaeque et quales speciatim sint res ita patefaciendae aut patefactae*, e re ipsa, atque sic ex philosophia et ratione, cognoscere non possumus (f. II.). Atque si etiam in modo iam factae patefactionis et in rebus iam patefactis, adsit ratio potior; ex re ipsa tamen, atque sic ex philosophia et ratione, intelligi illa non poterit. Et quamuis aliquis specialem modum quemdam possibilem sibi repraesentare velit, possibilem tamen eius generis dabuntur plures, adeo, vt ex re ipsa, atque philosophia et ratione, cognoscere verum modum et potiorem illam rationem, atque determinare non possimus (f. III.). Adhiberi quidem potest eius generis repraesentatio modi possibilem, vt intelligatur, non esse impossibilem singularem illam patefactionem, aut rem ita patefactam, et vt illorum opinio refelli queat, qui hanc impossibilem esse clamitant; sed verus modus determinari nequit.

Obs. Hoc velle videtur illustris LEIBNITIVS, quando in dissert. de *convenientia consensuque fidei et rationis* §. 5. *explicare* (expliquer) distinguit a *comprehendere* (comprendre), et adfirmat: *Explicari mysteria possunt, quantum satis est, vt credantur; comprehendi non possunt, nec, quomodo existant, intelligi.* (Les Mysteres se peuvent expliquer autant qu'il faut pour les croire, mais on ne les sauroit comprendre, ny faire entendre comment ils arrivent.). Hoc modo quoque intelligi et examinari possunt, quae BERNARDVS CONNORIVS in *epist. ad amicum, euangelio medici praefixa*, et in ipsa tractatione, adfert.

§. XLIII.

§. XLIII.

DEVS est spiritus infinitus et perfectissimus (per princip. theol. nat. in instit. p. 17. seq.), adeoque omnis vitii et erroris expers est (f. 11.), nec ergo sibi contradicere potest (f. 11.). Est praeterea causa rerum, e quibus manat philosophica notitia (per ead. princip.), etiam intellectus, et virium eius, quibus cognoscuntur illae (f. 1.), nec accommodari intellectus potest ad res cognoscendas sine DEI prouidentia (per eadem), omnium ergo causa est, ex quibus philosophia conflatur (f. 11.), huius ergo ipsius quoque causa est (f. 11.). Sed et singularis illius patefactionis causa est (§. XII. coll. 2 Tim. III, 16. 1 Petr. I, 21.). Neque ergo in his vtrisque sibi contradicere potest (f. 11.), *haec itaque sibi ipsis etiam contradicere nequeunt* (f. 11.). In sequentibus hanc sententiam adhuc alia ratione confirmabimus.

Obs. Hoc generatim ante constituit LEIBNITIVS l. c. §. 1. quando ait: *Je suppose, que deux verites ne sauroient se contredire.* Deinde haec accommodat ad fidem et rationem.

§. XLV.

Conuertamus nos nunc ad ipsas partes philosophiae et theologiae. *Logice* latius patens, partitione philosophiae accurate facta (instit. phil. prooem. p. 11.) in omni versatur veritate, quae nostrae iam est considerationis, recte prudenterque tractanda, ad quam intellectus praeparandus est (instit. log. p. 3.). Curat ergo veritatem propria meditatione inueniendam, ex aliorum dictis aut scriptis inuestigandam, aliis tradendam et defendendam (ibid. p. 6. seq.). Ut tota philosophia (§. XI.), sic etiam *Logice* e re ipsa, de qua agit, petenda est, si vera esse velit (f. 1.). Hoc quidem a nobis postulari nequit, ut omnia illius adferamus praecepta; ea tamen breuiter attingenda sunt, quae in primis in comparatione nostra et scriptis illustrandis aut examinandis fundamenti loco proponenda sunt.

§. XLVI.

§. XLVI.

Prima pars Logices, quae etiam praecipua est, versatur in veritate propria meditatione et accommodatione ipsorum principiorum cognitionis, inuenienda (§. praeced.). Intellectus etiam ad hanc praeparandus est (ibid.), hic ergo distinctius et accuratius considerandus (f. II.). Contemplandae eius sunt facultates, et actiones, ideae, iudicia et ratiocinatio in primis, quibus in veritate inuenienda maxime opus est. Vocant haec *principia rationis formalia*.* Praeceptis omnino dirigi potest ad veritatem ita inueniendam, eius actiones exercitatione et aliis subsidiis interuenientibus paratiores, et facultates eiusdem acutiores ac subtiliores fieri possunt, vt citius accuratiusque quidquam perspicere queant. Est tamen tantum facultas quidquam cognoscens (§. III.), et nisi principium cognitionis ipsi quidquam patefaciat cognoscendum, de quo in sequentibus quaedam dicentur, ipse nihil cognoscere potest, nisi se ipsum, quando se tamquam rem et fontem philosophiae contemplatur; et, quantum actiones aliorum spirituum aperiunt, aut ex pari concludi potest, horum quoque intellectum cognoscere potest. Hoc vero modo est etiam cognitionis principium (f. II.). Praeter haec autem, quia sine principio nihil veri primum ac solide inueniri potest, nec intellectus exercitissimus subtilissimusque quidquam veri primum ac solide perspicere potest (f. II.), quod nostra in comparatione probe notandum est.

* Vid. IO. MVSÆVS de *usu principiorum rationis et philosophiae in controversiis theologicis* lib. II. cap. II. §. 2.

§. XLVII.

Intellectus noster quando veri non videt fontes, teste experientia, saepe fingit quaedam, tamquam vera, quae sunt plane falsa; aut ceteroquin in errores rapitur praedicatis
docto.

doctorum aut etiam vulgi opinionibus atque iis, quae plerumque fiunt et ex consuetudine: saepe etiam ea tantum bona esse credit, quae peruersae suae conueniunt propensione, mala, quae eidem aduersantur; et quae huius generis sunt alia.

Obs. Dedita opera haec disputat PRAESES in *instit. log. part. I. cap. III.*

§. XLVIII.

In inuenienda veritate in primis repetendum est, intellectum esse tantum facultatem quidquam cognoscentem, si principium aliquod cognitionis eidem illud aperiat (§. XLVI.) et sine hoc nihil eum veri primum ac solide perspicere posse (ibid.). Inuentio ergo et cognitio illa veri maxime principio illo cognitionis nititur (f. II.), et sine hoc illi locus non est (f. II.).

§. XLVIII.

Si inuentioni et cognitioni illi veri locus sine principio cognitionis esse nequit (§. praeced.) sequitur, ut, vbi nullum est cognitionis principium, nulla inuentio et cognitio veri prima ac solida sit expectanda (f. II.), *res ergo illa non est inuestigabilis* (f. II.).

Obs. Vide PRAESIDIS *instit. log. p. 110.*

§. L.

Experientia vel doctissimos viros docet, in multis non inueniri principium quoddam cognitionis; atque ideo non inuestigabilia statuere, aut admittere, coguntur (f. II.).

Obs. SENECA dicit lib. VII. *nat. quaest. cap. XXIII.* *Multa sunt, quae esse concedimus; qualia sint, ignoramus.* CICERO lib. I. *de nat. deor. cap. XXI.* ait: *Omni bus fere in rebus, et maxime in physicis, quid non sit, citius, quam quid sit, dixerim.* Deinde cap. XXII. pergit sequentem in modum: *Roges me, quid, aut quale sit deus: auctore utar Simonide, de quo cum quaesuisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulauit: cum idem ex eo postridie quaereret; biduum petiuit: cum saepius duplicaret numerum dierum ad-*
mirans.

miransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi spes videtur obscurior. Simonidem autem vocat doctum, ac sapientem virum. Ad eorum numerum, quae inuestigari nequeunt, MAR- SILIVS PICINVS *argum. lib. V. Platonis de legib. p. 837. edit. Wech. refert causas variorum mirabilium.* Formas rerum naturalium plene planeque nobis notas esse negat IVL. CAESAR SCALIGER *de subtilitate exerc. CCCVII. sect. XII.* CARTESIVS *princip. philos. part. I. §. 28.* Nullas, inquit, unquam rationes circa res naturales, a fine, quem DEVS aut natura in iis faciendis sibi proposuit, desumemus; quia non tantum debemus nobis arrogare, ut eius consiliorum participes nos esse putemus. Sed recte illustis WOLFIUS *physic. §. 34.* de quibusdam tantum hoc adfirmat his verbis: *Da niemand die Natur ergründen kan, so werden wir auch niemahls die goettlichen Absichten, deren die Natur voll ist (§. 127. Met.) voellig erreichen.* Qui fines autem cognosci queant, ostendit idem vir in *tract. de finibus rerum naturalium.* Conferatur quoque IO. CHRISTOPHORVS STURMIVS in *phys. elect. tom. I. p. 196. seqq.* qui inter alia fatetur, quod omnes, (vsus finesque rerum naturalium) nondum ubique pateant, plurimi quoque nobis in hac mortalitate occulti ac ignorantiae tenebris inuoluti perpetuo futuri procul dubio. Illustris WOLFIUS *rat. praelect. cap. VI. §. 2. sqq.* ita disserit: *Non progredior ulterius, quam observationes ac experimenta permittunt; in ceteris malo ignorantiam profiteri, quam fictionibus mihi atque aliis illudere, veritati ac progressui ulteriori obicem ponere.* Non inuestigabilem ergo statuit distinctam cognitionem omnium specierum motuum in materia corporum *phys. §. X.* ipsius item naturae rerum naturalium *§. XX.* atque elementorum *§. XXXII.*

§. LI.

Haec cum factis sint explorata (§. praeced.) eorum eripiendus est error, qui perperam sibi persuadent, nos omnia perspicere posse (f. II.). Nec dubium nostrum facere potest animum, multa antea incognita, diligentia recentiorum philosophorum facta esse cognita. Quae enim inuenta sunt vera, non nisi ope principii cognitionis veri inuestigata sunt, accedentibus modo novis subsidiis cognitionis: quorum autem non est tale principium, ea numquam inuestigabuntur (f. II.).

§. LII.

Quum ergo omnis veri inuentio maxime principio illo nitatur, et intellectus tantum sit facultas, qua inuenimus illud verum (§. XLVIII.): spes futuro tempore cognoscendorum

dorum

dorum in principio, eiusque vsu accuratiore, non autem in viribus intellectus, reponenda est (f. II.).

§. LIII.

Si datum nobis est cognitionis principium (§. XLVIII.) laborem vero taedio nouae tantum curae fugimus, * *ignauia* est, omnino culpanda (f. II. **). Si vero rei cuiusdam non est eius generis principium, spes illius cognoscendae nobis eripitur (§. praeced.). Si ergo a possibili repraesentando discesseris (§. XLIII.) *temeraria* illius erit cognitio (f. II. ***).

Obs. I. De Tiberio narrat TACITVS lib. I. *annal. cap. LXXX. eum taedio, nouae curae semel placita pro aeternis seruauisse.*

Obs. II. Ab hoc fonte ducendum, quod veteres iusto plures effectus naturales adscriberent ita dictis *qualitatibus occultis.*

Obs. III. Recte itaque iudicat AVGVSTINVS *serm. XX. de verbis apost. rom. X. oper. p. 360. Maior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.*

§. LIII.

Quamuis vero principium cognitionis datum sit, atque speciatim res ipsa multa proxime cognoscenda offerat e. c. definitiones, diuisiones, et quae ceteroquin experientia nituntur; vsus tamen docebit, duce re ipsa, atque sic in philosophia et ratione, proxime non omne verum recte inueniri posse, nisi *ordinem* etiam sequamur ac viam ingrediamur, rei cognoscendae et intellectui conuenientem (instit. log. p. 77.). Multa cognosci debent ex iis, quae *posteriora* sunt, cuius generis sunt rei *effectus*, qui vel necessario cohaerent cum causa sua, vt illi sine hac esse nequeant, e. c. res creatae ita cum procreatore DEO copulatae sunt; atque sic haec certo agnoscitur; vel minus, vnde verisimilitudo; alia ex illis, quae *priora* sunt, intelliguntur, vt sunt rei *natura et causae* (ibid.). *Actiones* quoque intellectus simplices ita sunt comparatae, vt praecedant *ideae*, sequantur *iudicia*, ex quibus deinde efficiuntur *conclusiones* (ibid.). Hic ordo vo-

E

catur

catur *naturalis*; et a mathematicis adhuc seruetur in primis; *hic ergo accurata adhibenda est diligentia* (f. II.); ut nihil dicamus de regulis, quibus actionum intellectus usus dirigitur, et de facultatibus acuendis.

Obs. Vide *PRAES. instit. log. p. 78. seqq.*

§. LV.

Non modo autem veritas propria meditatione inuenienda est, sed ex aliorum quoque dictis scriptisque inuestiganda (§. XLV.). Aliorum ergo cogitata primum recte intelligenda, et deinde, num vera sint, diiudicanda sunt (f. II.). Verus in primis inuestigandus locorum sensus, veris interpretationis regulis negotium moderantibus (*instit. logic. p. 172. sqq.*). Tradenda quoque aliis eadem et defendenda, ut finis postulat, atque res circumstantes suadent aut dissuadent (§. XLV. *instit. log. p. 199. sqq.*). Cuncta haec praecepta Logices vera ad *veritates* referunt *aeternas*.

§. LVI.

Patefactio autem illa *supernaturalis* dicta ita comparata est, ut intellectu humano quodam modo et ipsa et res patefactae sint capiendae (§. XII.), adhibere ergo debent mortales in illa huius facultates, et actiones, ideas, iudicia, et ratiocinationes harumque rectum ac prudentem usum, viamque, quantum est opus, rectam quidquam cognoscendi (f. II.). In *scriptis sacris*, si analogiam fidei exceperis (Rom. XII, 6.) nullae *interpretationis* praescribuntur regulae. In tradendis doctrinis patefactis, si a paucis discesseris, itemque defendendis iisdem, nullas quoque accipimus, sed Logicae philosophicae praecepta modo accommodari debent ad sacra (§. LV.). Quantum ergo ex ipsa patefactione, rebusque patefactis, et scriptis sacris intelligimus, **DEVS** quidem non reiecit haec, quae Logice vera tradit, sed

sed

sed vsui illorum quoque in patefactione illa locus est, quae etiam scripta sacra passim repetunt ac confirmant (f. II.).

Obs. Analogiam illam fidei fufius disputauit PRAESES in praef. scriptis Sandhagenii praefixa.

§. LVII.

Quia tamen in re ipsa, philosophia et ratione, nullum inuenitur principium cognitionis eorum, quae patefactionis et rerum patefactarum propria sunt (§. XLIII.), Logice philosophica quoque nos docere non potest, cuius principii interuentu illa, nostra meditatione, inuenienda sint, aut quae cognosci nequeant (f. II.); atque sic principia rationis formalia dicta (§. XLVI.), haec non attingunt (f. II.). Ipsi ergo huius disciplinae doctores tantum aliquando ea adiungunt, quae ad haec pertinent, sed ex scriptis sacris hauriunt.

Obs. Vide PRAES. instit. log. p. 74. seqq. et p. 146. seqq. atque *Logicans* p. 578. seqq.

§. LVIII.

Ea, quae ad solam theologiam et fidem spectant, ex re ipsa, a DEI patefactione supernaturali dicta distincta, cognosci nequeunt (§. XLIII), et tamen ad fines nostros necessaria sunt (§. XLII.), DEVS ergo optimus (Rom. III, 2. 2 Tim. III, 16.) ac speciatim *spiritus sanctus* (2 Petr. I, 21. 1 Cor. II, 13.) alio, quam re ipsa, atque sic singulari ac supernaturali dicto illa patefecit modo, quae deinde in scripta retulit sacra ac *θεόπνευστα* (2 Tim. III, 16.). Haec ergo *unicum nunc sunt principium cognitionis theologiae* atque sic fidei (f. II.). Ad haec vero referuntur non modo, quae verbis ipsis proponuntur, sed et quae ex dictis illis rite concluduntur (Matth. XXII, 31. sq. et Actor. X, 43.). *Ratio ergo, et speciatim Logica, nec potest, nec debet, aperire aliquod principium theologiae et fidei* (f. II. coll. §. XII. et 1 Cor. II, 10. sqq.).

Obs. Hoc etiam scriptor sanctus significare voluit verbo *ἀποκαλύπτειν* Matth. XVI, 16. sqq. Luc. X, 22. quod est *patefacere operta et occulta detegere,*
E 2
retegere,

retere, sublato velamine quidquam conspiciendum praebere. Vid. H. STEPHANI thes. Graec. linguae in indice h. v. Ab hoc deriuarunt septuaginta interpretes vocabulum ἀποκάλυψις, a profanis teste HIERONYMO tom. VIII. oper. p. 126. non adhibitum, vt singularem hanc verbo rei accommodato exprimerent patefactionem. De modo, quo DEVS per res ipsas, atque sic per philosophiam et rationem aperuit necessaria, Paullus dicit ἐφανερώσει Rom. I, 19. conf. B. IO. MVSÆVS in introd. in theolog. cap. III. thes. 25. §. 5. Praecipuos illius singularis patefactionis modos indicat B. BAIERVS in compend. theol. pos. proleg. cap. II. §. 1. not. c.

§. LVIII.

Quum res patefactae in scripta sacra iam sint relata (§. praeced.) per subsidia ac principia interpretationis, a Logice tradita (instit. log. p. 172. et p. 178. sqq.), inuestigare quidem verum verborum sensum, atque rem, de qua sermo est, quodam modo cognoscere possumus, teste experientia (§. LVI.), sed tamen ipsa scriptura sancta adhuc necessarium statuit, vt DEVS (2. Cor. III, 6.) speciatim spiritus sanctus (1. Cor. II, 10. sqq.) per verbum diuinum (2. Petr. I, 19.) intellectui lumen accendat, quo interueniente res illae clarius, distinctius atque accuratius, possint perspici et confirmari, atque voluntas quoque efficacius queat impelli; quam actionem theologi *illuminationem* vocare solent. Huius in re ipsa, atque sic philosophia et ratione, speciatimque Logica naturali, nullum reperitur vestigium teste inductione et experientia. Haec ergo ad rationem referri nequit (f. 11. coll. 1. Cor. II, 10. sqq.).

Obs. Lege inter alios B. BVDDEVM institut. theolog. moral. part. I. cap. I. sect. II. §. 45. sqq.

§. LX.

Quando itaque tam motiuis dictis credibilitatis, quae fidem faciunt ita dictam humanam, seu verisimilitudinem quidem, sed summam efficiunt, quam vi ac virtute in primis diuina (1. Io. V, 6. coll. 1. Cor. II, 4. sq. 1. Thess. II, 13.), quae fidei diuinae et cognitionis certae causa est, plane conuincimur,

cimur,

cimur, *scripta sacra esse diuina* (§. LVIII.), et quando interuentu praeceptorum interpretationis *verus certo agnoscitur sensus* (§. LV. sq.), *propositiones et sententiae iam nobis plane perspectae fiunt*, quae aliquando continent definitiones (e. c. 1 Io. III, 4. et Ebr. XI, 1.) et diuisiones, ex quibus deinde axiomata, et ex his conclusiones efficere naturali ordine (§. LIIII.) possumus. Saepe vero *statim ex verbis axiomata, plerumque propositiones speciales*, quae ceteroqui conclusiones esse solent, oriuntur, vt ordo ille naturalis, vel plane non, vel non totus seruari debeat, multo minus ergo artificiali quadam opus est (f. II.). Plerumque etiam *scriptis in sacris nullae adhibentur demonstrationes*. Quando ergo theologi ex dictis sacris demonstrationes componunt, doctrinasque sacras in ordinem redigunt naturalem (§. LIIII.); intellectui humano hoc quidem accommodatum est (ibid.), et suam adfert vtilitatem (f. II.), sed ipsa ita dicta *coniunctio* non ex ordine illo, et demonstratione, sed *ex virtute diuina* pendet (f. II.), id quod in comparatione nostra rationis et fidei probe notandum est. In scriptis sacris hoc quoque singulare est, quod in illis componendis diuersi prophetae et apostoli dicti suam quidem contulerint symbolam, sed vnus DEI ac speciatim spiritus sancti afflatu diuino omnes excitati sint atque afflati (§. LVIII.), vnus ergo eiusdemque auctoris DEI ac spiritus sancti scripta sunt (f. II.). Et quia vnus locus cuiusdam auctoris ex alio saepe interpretandus (instit. log. p. 182.), hoc quoque de tota scriptura sacra erit adfirmandum (f. I.). Scriptores ergo illi non ita sunt separandi, vt vnum sine altero, vel etiam contra dicta alterius interpretemur (f. II.), sed scripta noui federis ex scriptis veteris, et scripta huius ex illis intelligenda; propheta ex alio, apostolus ex alio, est interpretandus (f. II.). In iisdem scriptis hoc quoque singulare est spiritum S. *σχοπὸν*

suum duabus saepe rebus patefecisse, quartum altera typus est, altera a theologis antitypus vocatur: haec quia ad vnum tendunt *σκοπὸν*, necessario coniungi debent (f. II.). Sensus ceteroquin etiam non statim tanquam absurdus reiiciendus, qui nostris falsis opinionibus et peruersis propensionibus (§. XLVII.), aut sententiis tantum quibusdam philosophicis contrarius (f. II.).

§. LXI.

Haec de Logice: conuertimus nos nunc ad ita dictam *ontologiam*, a pluribus quoque *metaphysicam* dictam. Si ceteris philosophiae disciplinis ea tribuatur, et assignantur, quae accurata diuisione facta (instit. de erud. §. IIII.) ad eas merito redigenda sunt; nulla alia supersunt, quam quae omnibus rebus, vel plurimis, sunt communia (ibid. §. v.). Illorum quasi symbolum philosophi voluere esse *ens*; horum primarias entis species, quas vna quidem philosophiae disciplina sola sibi adserere nequit. Hinc metaphysica etiam definitur *scientia, quae contemplatur ens, quatenus ens est, et quae eidem per se subiecta sunt*. Repraesentantur communia illa, teste experientia, ideis generalibus, ex quibus iudicia eiusdem generis atque axiomata conflantur, et ex his tandem eiusdem generis efficiuntur conclusiones. (instit. ontol. p. 10. sq.). Cuncta cognoscuntur considerando vniuersas res, et separando ea, quae his communia sunt, ab his, quae singulis propria sunt (instit. ontol. p. 12. sq. et log. p. 131. sq.). Ex his specialia disciplinarum aliarum intelligere suo modo possumus, atque iisdem etiam demonstrare.

Obs. ARISTOTELEI lib. III. metaph. cap. I. metaphysica est ἐπιστήμη ἢ θεωρεῖ τὸ ὄν ἢ τὸ ὄν, καὶ τὰ τῷ ὄντι ὑπέκχοντα κατ' αὐτὸ. Hanc definitionem multi Aristotelei et Scholastici ab his accipere. Celeb. WOLFIVS ontol. §. 1. *Ontologia, inquit, seu philosophia prima est scientia entis in genere, seu quatenus ens est.*

§. LXII.

§. LXII.

Ens est symbolum omnium rerum (§. praeced.). Qui ea, quae omnibus rebus primum, in quibus philosophia versatur (§. VIII. et XI.) communia sunt, accurate expendit, auxilio inductionis perspiciet, ea ad *quinque* redigi debere, *possibilitatem dictam puram, existentiam, naturam* atque *essentiam, proprietates et fortuita*, seu accidentia ita dicta praedicabilia. Ens ergo describi posset, quod cuncta haec habet. Sed plerique docti et indocti ab etymo deriuant definitionem nominis, secundum quam dicitur, *quod est*, seu, *quod existit*. Atque hos plurimorum exemplo sequimur. In singulis rebus quidem coniuncta haec et copulata sunt, teste experientia; sed diuisionis intellectus ope quodam modo distinguuntur (§. praeced.).

§. LXIII.

Munus nostrum iam non est tradere ita dictam ontologiam; quia tamen ad illa *quinque* multa nostro quoque in negotio redeunt; quaedam de iis adhuc proferemus in medium; et quia in primis hodie non omnes idem de his sentiunt; nos sine vlllo partium studio rem ipsam vsunque loquendi sequemur, duces ac magistros. Quae harum rerum naturalis sit ordo iam notum est (praeced. §.). Considerabimus vero primum ea, quae minus sunt controuersa, deinde ad cetera progrediemur.

§. LXIII.

In eo consentient facile omnes, *ea, quae in re aliqua possunt adesse, vel abesse, ut natura et essentia rei atque proprietates non mutantur, vocari accidentia, ut loquuntur, praedicabilia, fortuita, euenta.*

Obs. I. Vide ARISTOTELEM lib. I. Top. cap. V. n. 8. PORPHYRIUS in Isag. tract. I. cap. V. rem distinctius explanat his verbis: Συμβεβηκός, ἐστίν, ὃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τῆ ὑποκειμένου φθορᾶς.

Obs. II.

Obs. II. LVCRETIVS lib. I. v. 456. sqq.

*Seruitium contra, libertas, diuitiaeque
paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum
aduentu manet incolumis natura, abituque,
haec soliti sumus, ut par est, euenta vocare.*

§. LXV.

*Ea, quae ex natura et essentia cuiusdam rei, deinceps accu-
ratius definienda, necessario fluunt, vocari solent proprietates.*

Obs. AMMONIVS in Porphyrii isag. cap. III. proprium ad consecutiones refert. ALBERTVS M. in praedica. Proprium, inquit, manat de essentialibus speciei per differentiam praeconstitutam per intellectum. Conf. HEBENSTREITIVS in Log. sacra p. 65. et in philos. pr. p. 181. WOLFIVS in Log. cap. V. §. 6. Ex eo, quod posterius est, ARISTOTELES fecit definitionem l. c. n. V. conf. PORPHYRIVS l. c. cap. III. n. V.

§. LXVI.

*Exsistentia generatim varia ratione definitur. Omnes
autem facile consentient, eam esse id in re aliqua, quo existit;
et, si hunc mundum vniuersum iam agnoscis, ipsa erit prae-
sistentia rei in hoc vniuerso mundo.*

Obs. Aliorum definitiones vide apud VELTHEMIVM in instit. metaph. p. 236. HEBENSTREITIVM in philos. pr. p. m. 135. sq. WOLFIVM ontol. §. 174.

§. LXVII.

*Quod exsistentiae cuiusdam rei nihil repugnet, seu, ut alii,
quod in re aliqua non sit repugnantia, illud separatim possibili-
tatem puram vocant*. Et quia hoc non modo obseruamus
in rebus, quae iam sunt, sed in multis, quae nondum sunt;
vtraeque res ad possibilium referuntur numerum**. Quan-
do vero consideramus, quo modo et per quas causas aliquid
possibile sit, illud magis ad rei formam aliasque causas, adeo-
que ad essentiam pertinet.*

Obs. I. Legendus est ARISTOTELES lib. I. prior. anal. cap. XIII. et lib. VIII. metaph. cap. III. conf. CHRISTIANVS DREIERVS in philos. pr. disp. XIII. §. 6. vbi illum illustrat, HEBENSTREITIVS item philos. pr. p. 562. Cel. WOLFIVS ontol. §. 25. Possibile est, inquit, quod nullam contradictionem
involuit,

inuoluit, seu, quod non est impossibile. Haec ceteroqui fufius difputauit VELTHEMIVS in *inftit. met. part. I. cap. X.* atque ad ipsam etiam vitam communem accommodauit, quia haec notio late patet.

Obs. II Quia, quae sunt, etiam possibilis sunt; nam esse non possent, nisi essent possibilis; ideo aiunt: *ab esse ad posse esse* (adeoque adfirmando) *ualet consequentia.* Vide STAHLIVM *regg. philos. part. I. disp. II. reg. II.* et IAC. THOMASIVM in *dilucidat. Stabl. b. l.* Sed quoniam multa, quae nondum sunt, esse possunt (per praeced.) dicunt: *Ab non esse ad non posse esse non ualet consequentia.* Vide eosdem auctores *l. c.* Quia uero nihil est, quod esse non possit, ideo affirmant: *A non posse esse ad non esse ualet consequentia.* Cum tandem multa esse queant, quae nondum sunt, aiunt: *a posse ad esse non ualet consequentia.* STAHLIVS *l. c. reg.* et THOMASIVS *b. l.*

Obs. III. In cognitione rerum tam certa, quam uerisimili, semper quidem ante constituitur ita dicta possibilitas (PRAES. in *instit. log. p. 123.*), adeo ut, si a paucis discesseris, de impossibili generatim dicto, neutri locus sit, nisi aliquid sit possibile; omnium tamen infirmissimum est nostrae cognitionis fundamentum ita dicta pura possibilitas (ibid. et p. 127.). Verisimilitudo quidem aliquando latius patens est, ut etiam notitia, quae possibilitate pura dicta nititur, uerisimilis habeatur (ibid.), sed plerumque arctior est, et ante constituit quidem eandem (per praeced.), at hac significatione notitia, quae possibilitate pura tantum nititur, non habetur pro uero simili, multo minus certa (ibid.). Hinc multi dicere solent: *Hoc illudue quidem possibile est, sed non probabile.* Haec etiam in nostra comparatione probe notanda et accommodanda erunt.

§. LXVIII.

In ente, atque sic in omnibus rebus generatim, tantum quinque separatim considerari possunt (§. LXII.), si ergo subducuntur, quae secundum rem ipsam et loquendi usum his quatuor tribuenda sunt (§. LXIII. sqq.), quae in re aliqua remanent ad quintum pertinebunt (f. II.), quintum uero est *natura et essentia* rei (§. LXII.), quae ergo restant, ad hanc referri debent (f. II.).

§. LXVIII.

Si res ueluti per classes perlustrabimus, obseruabimus superesse in vna quaque re aliquid, quod aliis, speciatim in aliqua classe, est *commune*, et aliquid quod est *proprium*. Si, quae propria sunt, distinctius inuestigabimus, in plerisque

F

reperie-

reperiemus aliquid, quod disponi atque suo modo determinari potest, et quod significatione latius patente *materiam* vocant; item in omnibus aliquid, quod ipsa est dispositio rei, a fortuita (§. LXIII.) suo modo separata, quam *formam* appellant; causam quoque et rationem *efficientem* eiusque propositum et *finem*; vt de ceteris causis e. c. *impellente* nihil dicam. Haec omnia adhuc supersunt. Et quia, quae restant ad essentiam referenda sunt (§. praeced.); haec omnia, vbi reperiuntur, ad hanc erunt referenda (f. II.).

Obs. I. Per haec omnia, teste experientia, res est id, quod est, per propria speciatim ab aliis distinguitur. Et quia illa ad essentiam pertinent (§. praec.) essentia quoque ita definiiri solet (f. II. vide HEBENSTREITII *philos. pr. p. m. 163. sqq. et 168. sq.*

Obs. II. Quum vero ex propriis *materia*, vbi illa reperitur, et *forma*, ad interiora spectent; ceterae causae externae quodam modo sint: priores illas causas multi ad naturam rei et essentiam tantum retulere.

Obs. III. Quando, quae propria sunt, accuratius examinantur, obseruabimus, illud, per quod res est id, quod est, et ab aliis secernitur, maxime esse *formam* rei; adeoque hanc speciatim singulari significato dixere *essentiam*. Vide HEBENSTREITIVM l. c. p. 169. sq.

Obs. IIII. *Idea* haec nobis repraesentant, et *verba definiunt*, teste experientia. Et quia nostra in comparatione res saepe ad veras accuratasque redit ideas ac definitiones; hac occasione quaedam e Logicis repetita accommodanda erunt (f. II.). Veritas Logica est cogitatum principis cognitionis ac speciatim rei ipsi congruens (§. XVIII.). *Idea* ergo vera erit, quae principis illis ac speciatim rei, quam repraesentare debet, congruit (f. I.). *Falsa* vero, quae non congruit (f. II.). Quando itaque *essentia* vera repraesentatur, oritur vera *notio* et *idea essentialis* dicta. Aliquando totam essentiam; aliquando quasdam partes, vel vnam repraesentamus (*obs. II. et III.*). Quia vero hac ratione animo rei *concipimus* imaginem, a quibusdam etiam vocatur *conceptus* (vide HEBENSTREITIVM *philos. pr. p. 163. sq.*), qui eadem ratione vel *totalis*, vt loquuntur, vel *partialis*, est. Et quia ita dicta *possibilitas* pura et *existentia* magis ante constituuntur; cetera autem (§. LXII.) maxime in re aliqua considerantur, atque natura et essentia est fons proprietatum et fundamentum fortuitorum, adeoque primum praecipuorum cogitatorum, *idea essentialis* vocatur *conceptus primus*, et repraesentatio proprietatis, *conceptus secundus*. Vide eundem l. c.

Obs. V. Quando, quae adhuc attulimus, aptis exprimimus verbis, in primis vocatur *definitio*. Et quia ipsam *rem*, non nomen, explanamus, definitio appellatur

pellatur *realis* (f. 11.); speciatim, quia naturam et *essentiam* rei illustramus, res ipsa et plurimorum vsus loquendi postulant, vt *essentialis* nominetur (f. 11.). Quando ergo cuncta declarantur, quae ad illam essentiam pertinent, *perfecta* dicitur (f. 11.). Vbi itaque ipsa rei essentia plane perspici, et verbis exprimi, potest; ibi quoque locus esse potest definitioni essentiali, etiam perfectae (f. 11.), vbi illa inuestigari aut verbis exprimi, nequit, neque haec eadem explicari potest (f. 11.). In rebus *moralibus* pterumque cuncta perspici possunt, teste inductione; hinc *perfectae* plerumque locus esse potest definitioni (f. 11.), in *naturalibus* saepe causa efficiens et finis specialis ignoti sunt, teste eadem; internae ergo partes modo (*obs. II.*) declarandae erunt (f. 11.). In rebus ita dictis *abstractis*, in primis *forma* rei animo repraesentari potest (*obs. III.*). Hae definitiones omnes, quia causas rei continent, dici quoque possent *causales* (f. 11.); sed vsus loquendi tantum eas ita vocat, quae vnam alteramue causam externam modo explanant. Lege de his ROETENBECCIUM in *log. vet. et noua* §. 2203. sqq. Vt idea essentialis est fundamentum praecipuum ceterorum cogitatorum (*obs. III.*), ita definitio essentialis, quae illam exprimit verbis, erit fundamentum omnium proponendorum atque etiam demonstrandorum (f. 11.). Hinc Stoici, omnem institutionem a definitione proficisci debere, praecipiebant. Vide CICERONEM *lib. I. de offic. cap. II.*

Obs. VI. Aliquando haec, quae attulimus (*obs. praeced.*), perspici nequeunt, teste experientia; aliis ergo notis res explicanda est, quae tamen ita cum illis cohaerere debent, vt in eorum locum proxime substitui possint (f. 11.). Huius generis sunt *proprietates* (§. LXV.), quae etiam ex eo agnosci possunt, quod aliquid in re inueniatur sola, semper et in omnibus eius ita dictis indiuiduis (ontol. p. 20.). Et quia, quae *effecta* sunt, quae et qualis fuerit eorum causa demonstrant (per princip. ontol.), illa saepius quoque notae definitionis esse possunt (f. 11.). Aliquando etiam alia, quae *circumstant* rem, subsidio veniunt. Si vero tantum haec adhibentur, non accurata vocatur definitio, sed *descriptio*. Vide ROETENBECCIUM *l. c.* §. 2236. 2242. sqq.

Obs. VII. Hac occasione silentio plane praetermittere non possumus dari quoque *definitiones* dictas *nominales*, quae quid nomen aut loquendi formula, significet, aliis verbis notioribus eiusdem sensus declarant. Hae sunt varii generis; decem ex *Boethio* adfert ROETENBECCIUS §. 2217. Quae autem *mathematicis*, et hodie multis *philosophis*, placet nominalis definitio, plane singularis est, a IVNGIO in *Log. Hambergensi* p. 281. dicta enunciatio, quae *distincte et absque vlla ambiguitate declaratur, quid nomen significet; siue est enunciatio, quae certo nomini certam notionem distinctam attribuit.* Celeberr. WOLFIVS in *Log. maiore* §. 197. ait, eam esse *distinctam enumerationem notarum ad rem definitam agnoscendam et ab aliis discernendam sufficientium.* De huius generis definitione nominis multa dicuntur; quorum praecipua sunt, eam esse *arbitrariam, et non disputabilem, magnamque adferre utilitatem;* hinc multi fere tantum eam *solam* in medium proferunt. Quid ergo res et rectus sermonis vsus postulent, aut permittant, breuiter indicabimus. L. Nondum

fatis exploratum est, teste experientia, verba sua natura aliquid significare; imponuntur ergo rebus nomina, ut illarum notae (f. 11.); adeoque haec quodam modo ad arbitrium eorum pertinent, qui imponere solent (f. 11.). Si quis ergo, *sibi soli* sapere, aut secum tantum loqui, velit, nihil impedire video, quo minus rebus nomina, quae velit, imponere, atque sic per illa imposita rem, quam velit, indicare, et nomina arbitrato suo definire queat (f. 11.). Potest ergo aliis quoque aperire, quid per hoc vel illud nomen ad suum usum impositum, velit intelligi (f. 11.). *Hac quidem ratione definitio nominis est arbitraria nec disputatione eget.* II. Sed nihil quoque impedire video, quo minus ad suam etiam utilitatem usum loquendi sequi possit; imo, teste usu vitae communis, maiorem sic sibi ac deinde aliis promittere potest utilitatem, cum hac ratione nomina sint utrisque communia, atque potestates eorum communes, omnisque euidentur confusio. Hanc ergo ob causam *non facile definitio nominis arbitraria est efficienda* (f. 11.); ceteroquin suo omnino modo est disputabilis (f. 11.). III. Si vero dicendum, quod res est, sermoni propositus finis est, ut animi queamus exprimere sensa; *aliisque* potius ea significare (instit. I. N. p. 113.), cui locus esse nequit, nisi verba et significationes usitatae, aliisque antea notae, adhibeantur (ibid. p. 115.). Nam quamvis nomen nostro arbitrato definiamus, in animis tamen aliorum, qui audiunt ac legunt nostra, teste usu rerum, plane aliae sunt ideae ac potestates cum verbis copulatae, ut confusio illarum vitari nequeat; ut non addamus, non semper definitionem nostram a nobis propositam aliorum ante oculos quasi versari; hinc vel non intelligitur, vel non verus nos ter sensus inuestigatur (f. 11.). Dudum ideo HORATIVUS dixit de arte poet. v. 71. sq. *penes usum arbitrium esse et ius et normam loquendi.* Et QUINCTILIANUS lib. I. institut. cap. VI. praecipit: *Consuetudo certissima loquendi magistra, atque utendum plane sermone, ut numo, cui publica forma est.* Singularis ergo applicatio verborum, quam quis sibi fingit, fini sermonis contraria est et illicita (instit. I. N. p. 115. sq.). *Hac ergo ratione definitio nominis arbitraria esse nequit* (f. 11.). Et quae vel rei vel usui loquendi aduersatur, omnino quam maxime est disputabilis (f. 11.). Haec partim illustrat, partim confirmat ROETENBECCIUS l. c. §. 2209. sqq. III. Quando vero rem et usum illum sequimur, et in doctrinis ita dictis *abstractis* ontologicis, etiam physicis et mathematicis, quando aliis locus non est, *saepe omnino debemus adhibere definitionem illam, quam vocant, nominalem* (f. 11.). V. In demonstrationibus quoque aliquando propositio prima eius generis definitio esse potest, quae vel partem essentiae, vel proprietatem, vel effectum continet; id quod eligendum aliquando omnino suo modo nostro arbitrio est relictum (instit. log. p. 48.). *Atque hac quidem ratione illa quoque est arbitraria* (f. 11.), et eadem ratione quoque diuersis in locis *varia esse potest* (f. 11.), qua ideo usus etiam est *interpres Wertbemiensis*, uti ipse in praefat. sua p. 33. patefacit; melius tamen erit, teste experientia, si *eadem* semper esse queat. VI. Quia vero saepe essentiam (§. LXVIII.) non omnem verbis exprimunt, atque sic in disciplinis tota natura rei non exhauritur, quae tamen fundamen-
tum

tum ceterorum etiam cogitatorum est (*obs. IV.*) praefigi quidem potest nominis definitio, vt veram illius intelligamus significationem, sed realis ac essentialis dicta post eam quoque proponenda erit (*f. 11.*); *sola ergo illa praemittenda non est* (*f. 11.*). Ex his simul perspicitur, VII. illas omnino quamdam vtilitatem; maiorem vero, vbi adhiberi possunt, definitiones *reales* dictas et *essentiales ac perfectas* nobis adferre (*f. 11.*). Egregia ceteroqui sunt, quae ROETENBECCIUS tam de vtilitate illa, quam recto vsu definitionis nominis praecipit ac rationibus confirmat *l. c. §. 2218. sqq.* *Non omnia nempe esse definienda; definitiones non temere esse mutandas; neque a semel factis recedendum, easdem ad communem usum, dicerem quoque, naturam et essentiam rei, quam proxime accedere debere; et quae alia sunt.* Quiuis videbit, haec omnia nobis in nostra comparatione magno esse adiumento; atque hac occasione non sine causa esse adiecta.

§. LXX.

Entis contrarium est *non ens* (*ontol. p. 16.*). Plurimorum sententia variae etiam huius dantur species (*ibid.*); quidam vero vnum tantum, nempe *impossibile*, statuunt (*WOLF. ontol. §. 137.*). Hoc autem esse adfirmant, in quo fit repugnantia; seu, vt alii loquuntur, *quidquid contradictionem inuoluit* (*id. §. 79.*). Hanc notionem addere debemus, quia in comparatione nostra illi quoque locus est.

§. LXXI.

Quia, teste rerum vsu, ens tollit non ens, et hoc illud; numquam haec simul, eademque consideratione, in re aliqua esse possunt; hinc dicimus: *Nihil potest simul esse et non esse* (*instit. ontol. p. 18.*). In quo etiam est contradictio, illud est impossibile (§. praeced.). In esse vero et non esse simul ac eadem consideratione sumto est contradictio; esse ergo et non esse simul et eadem consideratione sumtum est *impossibile*; vel, si conuertas, *impossibile est idem simul esse et non esse* *. Est propositio haec alia consideratione *principium* (*instit. log. p. 60.*), et quia in contradictione versatur, a non nullis vocatur *principium contradictionis* **.

Obs. I. Videndi primum ARISTOTELES *lib. I. poster. analyt. cap. VIII.* et *lib. III. metaph. cap. III.* itemque *lib. XI. cap. V.* deinde quoque alii, speciatim

ciatim STAHLIUS *l. c. disp. I. reg. I.* et THOMASIVS in *dilucidat. Stahl. b. 1.*
VELTHEMIVS *instit. metaph. p. 68. sqq.* HEBENSTREITIVS *philosoph. pr.*
p. 113. sqq. et WOLFIUS *ontol. §. 27. sqq.*

Obs. II. AVERROES in *lib. III. metaph. Aristot. cap. III.* *Nullum principium potest dici indemonstrabile, quam principium contradictionis.* LEIBNITIVS quoque eius mentionem facit in *tentam. Theodicaeae §. 44.* fusius vero et vberius illud disputavit WOLFIUS *l. c.*

§. LXXII.

Huic addunt quidam aliud, nempe *principium rationis sufficientis* dictum, quod ab hac nomen ducit *. Ratio autem haec, quantum re ipsa nititur, est ipsa *caussa dicta virtualis ***, quam a *formali* probe distinguunt ***. Philosophi quia est scire *causam* et *rationem* (§. XIII.) nullus erit, qui *rationem* hanc etiam vere sufficientem, adeoque ipsum principium illud, non accipiat. Ab hac vero caute fecernendum est, quod quidam adnectunt, *rationem* nempe *semper esse potiore et determinantem*, veramque *semper ante constituere aliam*, vsque dum ad primam perueniamus, *praecedentem necessario excipere sequentem*, tam in *caussis naturalibus*, ubi illi locus esse potest, quam in *moralibus et liberis*. Hunc nexum in primis, cum vel ipsum sit *fatum*, vel illud contineat, plerique antiquorum admittere noluerunt ****; mirum ergo non est, hodieque etiam acutissimos philosophos, illum nondum ad liquidum esse perductum, credere (f. II.).

Obs. I. Vide LEIBNITIVM *l. c.* et WOLFIVM *ontol. §. 56. sqq.*

Obs. II. Vltimus *l. c. §. 58.* *Per rationem, inquit, sufficientem, intelligimus id, unde intelligitur, cur aliquid sit.* Et §. 71. *Propositio, quod nihil sit sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit, dicitur principium rationis sufficientis.* HEBENSTREITIVS *philos. prim. p. 644.* ait: *In analyticis omnis illa ratio, quae quaestioni, cur sit, satisfaciatur, seu per quam affectio de subiecto solide potest demonstrari, dicitur affectionis demonstrandae caussa.* Et hanc vocat deinde *virtualem*, quam a *formali* separat *p. 645. sqq.* De industria vero hanc doctrinam eradidit VELTHEMIVS *l. c. p. 699. sqq.* Vtriusque rei eadem definitio aperte indicat, utramque esse eandem. Agnuit ergo utramque ARISTOTELES locis iam a nobis citatis (§. XIII, *obs. III.*). Si rem ipsam sequimur
ducem,

ducem, ratio vel est cognitionis verisimilis (instit. log. p. 123. sq.), vel certae (ibid. p. 120.), et haec vel a posteriori, vel a priori (ibid.). Si vel in suo genere satisfacit quaestioni, cur res sic et non aliter sit, est ratio vera sufficiens, quae hac ratione latius patet, quam ratio sufficiens LEIBNITII, utpote quae tantum a priore est desumpta, atque in eiusdem generis demonstratione tantum adhibetur. Digna res est, quae fusius disputetur; quod autem iam fieri nequit.

Obs. III. Vide in primis VELTHEMIVM l. c.

Obs. IIII. Stoici haec addidere, ut vel ex CICERONIS libro de fato, vel IAC. THOMASII diff. de Stoici fati malignitate, quae annexa est exercitationi de Stoica mundi exustione p. 166. intelligitur.

Obs. V. CICERO de fato cap. VIII. dicit: *Qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliata, necessitate fati deuinciunt.*

§. LXXIII.

Haec de iis, quae omnibus rebus erant communia; sunt quoque aliae notiones praecipuarum specierum (§. LXI.). Sed plurimi, si non omnes, de his facile consentient, nec ut adferantur ceteroquin necesse est. Annotasse tamen iuuabit inter eas quoque esse *triplex principium*, ut loquuntur, *fiendi*, quod est causa efficiens, *essendi* et *cognoscendi*, quod vltimum nostro intellectui aliquid offert cognoscendum; atque hoc vel *incomplexum* vocari, quod res quaedam est, quae aliquid patefacit, vel *complexum*, seu propositionem, ex qua alia intelligitur. Fluunt etiam ex his notionibus multa *axiomata*, teste experientia. Haec omnia vocantur *aeternae* et *immutabiles veritates* *. Eadem quoque sunt prima pars *principiorum rationis* ita dictorum *materialium* **.

Obs. I. Vide illustris LEIBNITII *concordiam rat. et fidei* §. 2.

Obs. II. Vide MVSÆVM l. c. §. 2.

§. LXXIII.

Has notiones habuerunt antiquiores de rebus, quae extra singularem patefactionem notae sunt (§. VIII.). Sunt autem tales, quae ex omnibus rebus earumque praecipuis speciebus generatim fluunt (§. LXI.), omnibus ergo
rebus

rebus aut praecipuis earum speciebus *communes* sunt (f. 11.) et his adscribuntur, quatenus res sunt, vel vna ex praecipuis speciebus (f. 11.). Quaecunque ergo prioribus, addentur, si vt res, aut vt vna ex praecipuis speciebus, considerantur, notionibus his subiecta erunt (f. 1.). Quum igitur res quoque singulari illo modo patefactae innotescerant (§. x.) atque res erant, nec non ad praecipuas illas species referri poterant, atque ita considerari; notiones illae per has quoque transferri poterant (f. 1.). Et quia ex illis notionibus *axiomata* generalia fluunt (§. praeced.), haec quoque in nostras valent res patefactas (f. 1.). *Quae ergo ontologia tradit, theologiae quoque communia sunt* (f. 11.).

Obs. I. Notiones et axiomata ontologiae dictae sunt omnibus rebus, etiam patefactis, et theologiae ac fidei communia (§. praeced.) ad huius doctrinas ergo quoque applicari possunt (f. 11.); tamquam communia ergo ubique ante constituuntur, atque iis suo modo cetera confirmantur; *haec ergo rationis et philosophiae pars fidei et theologiae hanc in primis adferre potest utilitatem* (f. 11.). Hanc vero inter alius vberius ante oculos posuere IO. WEISSIVS, Prof. olim Giessensis, in *dedicatione compendio metaphysicae recognito* praefixa, VELTHEMIVS in *instit. metaph.* et HEBENSTREITIVS in *philos. prim.* vt alios taceamus.

Obs. II. Notiones et axiomata nostra omnibus rebus, et patefactis et ceteris, communia sunt (§. praeced.), et ante constituuntur (obs. I.), non ergo aduersari possunt propriis, vel rerum patefactarum, vel ceterarum (f. 11.), neque haec illis (f. 11.). Ex hoc vero intelligitur, si, in interpretatione scriptorum sacrorum appareret sensus principis ontologiae contrarius, eum pro vero habendum non esse (f. 11.).

§. LXXV.

In illis vero notionibus et axiomatibus communibus nullum datur principium cognitionis speciale eorum, quae rebus tam singulari modo patefactis, quam ceteris, propria sunt, teste inductione et experientia; haec ergo ex illis cognosci nequeunt (f. 11.), haec itaque plane alia sunt, quam illa (f. 11.) distincta ergo sunt illa communia et haec propria, tam ceterarum, quam speciatim patefactarum rerum (f. 11.).

Obs.

Obs. Propria tam ceterarum rerum, quam patefactarum, ex ontologia cognosci nequeunt (§. praeced.), haec ergo pars philosophiae, et rationis, non potest esse principium cognitionis theologiae et fidei (f. 11.).

§. LXXVI.

Si partitionem philosophiae, duce ipsa re, facimus, *physicae* tribuendae erunt omnes doctrinae *de rebus creatis*, corporibus nempe, spiritibus, et ex vtrisque compositis, contemplandis praecipientes (instit. de erud. p. 11.). Sed adhuc tantum *corpus* eiusque species in sua disciplina tractarunt *physici*. Repetunt itaque saepe et ante constituunt, quae tradit ontologia; de his ergo eadem dicenda, quae de ontologiae rebus adfirmavimus (§. LXI. sqq.). Maxime vero versantur in iis, quae corporibus *propria* sunt (f. 11.). Naturam illorum causasque, proprietates et fortuita, considerant; et inter haec in primis *motum*, e quo omnes pendunt *mutationes* (instit. phys. p. 41.). Observarunt, corpora in motu plerumque servare quemdam ordinem, ex quo elicere voluerunt *regulas*, ad quas dirigitur corporum motus. Has vocant *leges motus naturales* (ibid.). Quae secundum has sunt, speciatim *effectus* vocantur *naturales*; quando vero ordo ille quodam modo turbatur, *praeter naturam* illud fieri statuunt (ibid. p. 25.). Cuncta cognoscuntur primum ex effectis, e quibus cetera eliciuntur. Hinc dicunt, naturalia cognosci experientia vel sensibus et ratione. Ex eo, quod posterius est, itaque illa intelliguntur (f. 11.). In multis non datur principium cognitionis speciale, teste experientia; haec ergo non sunt inuestigabilia (§. XLVIII. sq.), quamvis varia excogitari possint possible, quae tamen non adeo magni aestimanda (§. LXVII. obs. III.). Effectus quoque saepius cum causa quadam et modo non cohaerent necessario; hinc vero tantum similis est cognitio; cuius gradus probe definiendi sunt (instit.

G

Log.

Log. p. 61. sq. et 125. sq.). Quae autem sensibus clare percipiuntur, aut ubi necessarius ille nexus est; illa omnino certa sunt (ibid. et phys. p. 6. sq.).

Obs. I. Quae corporum propria sunt, nituntur natura corporum naturalium consueta (§. praeced.); quando vero plane alia adduntur, priora in haec non valent (f. 11.), adeoque illa non vniuersalia sunt (f. 11.), vt ontologiae notiones et axiomata (§. LXXIII.). Hinc B. 10. GERHARDVS in *isag. loc. theol. disp. III. c. XI. §. 3.* ea axiomata philosophica particularia vocat, ac determinata, quae in sua duntaxat sphaera veritatem obtinent: proinde non esse urgenda, vt simpliciter generalia et vniuersalia. Illustris LEIBNITIVS l. c. §. 2. et 5. haec suo modo illustrat et confirmat. Quaedam adprobat etiam interpretas Wertheimienfis praef. cit. p. 11. et 14.

Obs. II. Experientia teste saepe existentiam rei naturalis eiusque actionem percipimus; modum vero nullum patefacit principium cognitionis; hic ergo non est inuestigabilis (f. 11.). Ex eo itaque, quod modum illius ignoramus, non concludere possumus, negandam esse ipsam rem eiusque actionem (f. 11.).

§. LXXVII.

Si scripta sacra perlustramus, obseruamus haec multa de corporibus naturalibus adferre, quae ipsa horum natura fundata sunt, atque secundum leges motus naturales (§. praeced.) facta. Et quia haec vberius fufiusque in physica disputantur (ibid.), haec omnino sacra mirifice illustrare potest scripta (f. 11.). At multa quoque obseruantur, quae non tantum extra consuetum sunt modum, sed et a vi diuina proxime et ita proficiscuntur, vt vel paucae vel nullae leges motus naturales seruentur, atque sic hae quasi suspensae sint, aliaeque morales DEI extra ordinem et in contentione impleantur. Eius generis tam actiones diuinas, quam effectus, vocare solent miracula, ac speciatim corporum*. In his, quia res sunt, ea ante constituuntur, quae ontologia tradit (§. LXXIII.). Possibilia ergo speciatim sunt, non impossibilia (f. 1.), atque reuera existunt, vt scripta illa testantur. At neque in his, neque in physicis, aut aliis philosophiae partibus, datum est principium speciale cognitionis illorum miraculorum; ex scriptis ergo sacris intelligenda sunt (f. 11.). Sed
neque

neque in his, neque in philosophia, datum est tale principium modi, quo fiunt, teste inductione; *modus ergo miraculorum plane non est inuestigabilis* (f. II.). *Generatim* quidem dicere possumus, facta ea ita esse, vt leges motus suspensae, aliaeque leges DEI morales extra ordinem et in contentione quadam impletae sint (per praeced.), sed *speciatim quae ratione effectus in corpore, suspensis legibus motus, et per alias vias DEI iam nominatas, facti sint, definire non possumus* (f. II.). Modus quidem ille specialis res est (per praeced.); illa ergo, quae ontologia tradit, etiam in eo ante constituuntur (§. LXXIII.), atque sic est possibilis (f. I.); sed, cum desit principium cognitionis huius speciale, nobis est ignotus (f. II.). Varios modos speciales *possibiles* excogitare quidem, et similibus illustrare miracula, possumus; sed, hunc vel illum esse adhibitum, ignoramus (f. II. coll. §. LXXVII. obs. III.).

Obs. BENEDICTVS SPINOZA tract. theologico-polit. p. m. 101. edit. Londin. scribit: *Ex his itaque, quod in natura nihil contingit, quod ex eius legibus non sequitur, et quod eius leges ad omnia, quae et ab ipso diuino intellectu concipiuntur, se extendunt, et quod denique natura fixum atque immutabilem ordinem seruat; clarissime sequitur, nomen miraculi non nisi respectiue ad hominum opiniones posse intelligi, et nihil aliud significare, quam opus, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus, vel saltem ipse non potest, qui miraculum scribit, aut narrat.* Sed ex praecedentibus notum, leges corporum naturales esse *particulares*; fundamentum ergo corrui (f. II.). Hinc definitio haec miraculi etiam displicuit celeb. WOLFIO in *metaph.* §. 634. BERNARDVS CONNORIVS in *euang. Medici art.* VI. p. m. 41. *Miraculum, inquit, recte definiri potest effectus suspensa naturae, seu motus, lege productus; quam definitionem etiam agnoscit illustris LEIBNITIVS l. c. §. 3. nec WOLFIVS l. c. §. 633. re ipsa dissentit.* CONNORIVS interim in eo est, vt generalia sua ad miracula cuncta adplicet, quorum scripta sacra mentionem faciunt, ostenditque non quidem *verisimillimam* rationem, vt sibi persuadet, sed tamen *possibilem*.

§. LXXVIII.

Physica de corpore tractat (§. LXXVI.), *mathesis* vero speciatim in *quantitate* illius versatur (§. XIII. obs. II.). Multae notiones et axiomata, e. c. in arithmetica et geome-

tria, ita generalia sunt, vt ea fere sunt, quae ontologia tradit, minimum immutabilia sunt; hinc *aeternae* quoque vocantur *veritates* (f. II. *). Eadem ergo de illis dicenda sunt, quae de notionibus et axiomatibus ontologiae adfirmamus (f. II. coll. §. LXI. seqq.). Quae autem ad mathesin adplicatam referri solent, eiusdem sunt rationis atque physica; hinc eadem de illis sentienda sunt (f. II. coll. §. LXXVI.). Alia etiam in his certa sunt; alia tantum verisimilia, teste experientia; haec ergo quoque aliis certis merito cedunt (f. II.).

Obs. Vide LEIBNITIVM *l. c.* §. 2.

§. LXXVIII.

Matheseos notiones generales et axiomata eiusdem generis in adplicatione ad theologiam ita se habent, vt praeciputiones ontologiae (§. praeced.); eadem ergo ratione huius vsus de illis dicenda, quae de his adfirmamus (f. II. coll. §. LXXIII. sq.). Quia vero veritates posteriores generis eiusdem sunt rationis atque physicae (§. praeced.), eadem quoque ratione vsus in sacris statuenda erunt (f. II. coll. §. LXXVI. sq.).

Obs. Illustrat haec celeberr. noster IO. BERNH. WIEDEBVRGIUS in *mathesi biblica*.

§. LXXX.

Spiritus vel in physica considerantur (§. LXXVI.), vel in ita dicta *pneumatica*. Quia DEVM ad theologiam referimus naturalem (instit. de erud. p. II.) supersunt adhuc nostra *anima* et *alii spiritus finiti* (instit. phys. p. 92.). Quod ad *animam* nostram attinet, quae ex *effectibus* intelligitur (ibid. p. 93.), et speciatim ad *intellectum* (§. III.), iam tradidimus ea, quae ad praesens pertinent negotium (§. XLVI. sqq.); vberius quoque disputantur in Logicis. Intellectus omnino suum conseruat ordinem, suasque habet leges naturales,

les,

les, quas *leges intellectus* vocare possumus; speciatim nihil in philosophia cognoscitur sine consideratione rei ipsius (§. XXXVIII.). Quae ad *voluntatem* referuntur, in morali scientia tractantur. Voluntas etiam suum habet ordinem, suasque leges, quas *leges naturales voluntatis* vocare possumus; in primis notandum ordine naturali nullam eius oriri actionem, nisi praecesserit notitia (instit. moral. p. 21.). Ex quo vero CARTESIVS animam definiuit *substantiam cogitantem* (princip. philos. part. I. §. 53.) non agnoscere voluere philosophi eum sequentes illius *potentiam mouendi corpus*; quae opinio pluribus aliis dedit occasionem, quae saepe scriptis sacris aduersari videntur*. Multi ceteroquin etiam in ea olim erant haeresi, qua sibi persuadebant, philosophiam *animae immortalitatem* tantum verisimili ratione cognoscere posse, certam autem illius cognitionem ex scriptis sacris petendam esse**; sed et certae huius in philosophia locum esse, amplius fere controuersum non est***.

Obs. I. Nota BALTHASARIS BECKERI opinio de angelis.

Obs. II. Vide LEIBNITIVM I. c. §. 7. et 11.

Obs. III. Vide inter alios celeb. WOLFIUM metaph. §. 226.

§. LXXXI.

Scripta sancta, vt solent, multa repetunt, quae ordini illi naturali animae congruentia sunt; sed varia quoque addunt, quae secundum eum eiusque leges non facta; adeoque illae leges non valent in haec (f. II.), et sic quoque tantum sunt *particulares* (f. II.). Haec ergo ob causam adlatam non ex philosophia, sed scriptis sacris tantum, cognoscenda erunt (f. II.). Non nulla iam adlata, quae ad intellectum pertinent (§. LVIII. sqq.). Idem quoque dicendum de *ordine voluntatis, eiusque legibus naturalibus*; quibus scripta sacra multa addunt, quae non naturae, sed proxime

spiritui sancto adscribuntur; adeoque respectu horum leges voluntatis etiam *particulares* sunt (f. II. *). Quando, quae posterioris generis sunt, fiunt, ob eandem rationem, (§. LXXVII.) etiam *miracula* dici possunt, nempe *animae* **.

Obs. I. Hodie multi cuncta, quae philosophia agnoscit, *naturam* vocant; quae vero a singulari patefactione profecta, *gratiam* adpellant. Sed plerique actionibus naturalibus, in primis voluntatis, nomen *naturae*, et actionibus singularibus spiritus sancti in eadem, ad salutem hominum facientibus, nomen *gratiae* imposuerunt. Nostra ergo illustrabunt et confirmabunt illi scriptores, qui de *discrimine naturae et gratiae* praeceperunt, quorum plerisque adfert B. BVDDEVS in *instit. theol. moral. part. I. cap. I. sect. I. §. 1. obs. adi.* maxime vero ipse in hac parte ea distinctius proposuit.

Obs. II. De *miraculis animae* legi quoque potest CONNORIVS *loc. cit. art. XVI.*; eorum etiam mentionem facit celeb. WOLPIVS *metaph. §. 759.*

§. LXXXII.

Quod ad ceteros *spiritus* attinet *finitos* (§. LXXX.) eorum *effectus* eiusdem generis res patefaciunt, quas de anima cognouimus (*ibid.*); sed ut illi sunt maioris gradus, teste experientia; sic etiam gradu hi spiritus animam superant ratione intellectus, voluntatis, et, si qua illis inest, potentiae (f. II.). Ordinem ergo suum quoque et leges suas naturales habent (f. II.).

§. LXXXIII.

Scripta sacra multa quoque adferunt, quae ad ordinem illorum naturalem eiusque spectant leges naturales; sed multa etiam addunt, atque sic, paucis mutatis, eadem de his sentienda sunt (§. LXXXI.).

§. LXXXIII.

A creatis rebus ascendimus ad earum procreatorem DEVM (§. LXXX.). Ex effectis illis concludimus *spiritum infinitum*, et perfectissimum, et ex hoc elicimus omnes eius proprietates (*instit. theol. nat. p. 17. sqq.*). *Actiones* eius quoque ex eodem illo primo fonte cognoscuntur (*ib. p. 24.*).

Vt

Vt **DEVS** vero infinitus sine fine esse nequit (instit. iur. nat. p. 24.), sic eum quoque semper explet (f. 11.). Neque vero res creatas sine fine procreare potest (ibid. p. 25.), neque hic frustra praescribi (ibid.) ab eo ergo expletur (f. 11.). *Omnes actiones ergo dirigit ad finem tam suum, quam rerum creatarum* (f. 11.). Et quia omnes hi fines extra contentionem explendi sunt (per praeced.), extra hanc actiones suas ad omnes illos fines dirigit (f. 11.). In contentione vt semper maioris momenti et necessitatis fines praeferuntur (ibid. p. 76. sq.), sic, quod in primis notandum, ipse **DEVS** quaeque hunc seruat ordinem (f. 11.). Et quia bonitas est, quando aliorum conseruationem et commoditatem, quae fines aliorum sunt, prouehimus (per princip. moral.); bonitas **DEI** erit, quando ipse rerum creatarum fines prouehit (f. 1.). Quia etiam iustitiam vocamus, quando quis secundum leges ad aliorum vsum quidquam agit; iustitia **DEI** erit, quando ipse ad fines illos actiones ad rerum creatarum, speciatim hominum, vsum dirigit (f. 1.). Multa quae **DEVS** optimus agit ex effectis intelligimus; sed quia in re ipsa non est principium cognitionis modi, hic, si a paucis generalibus discesseris, in philosophia non est inuestigabilis (§. XLVIII. f. 1. *). In contentione ex effectis quidem cognoscimus, quid **DEVS** faciat; sed circumstantiarum, quae occasionem dedere contentioni, itemque rationis, cur aliquid maioris habitum sit necessitatis, si pauca exceperis, in re ipsa et philosophia, nisi euentu eam metiaris, non est principium cognitionis, teste inductione; hae res ergo eatenus in illa non sunt inuestigabiles (l. c. **).

Obs. I. Illustrari haec possunt exemplis creationis et conseruationis rerum (instit. theol. nat. p. 24.).

Obs. II. Fundamenta haec sunt, quae ante constituenda, quando quae-
stiones, quae dubium nostrum facere possunt animum, persoluendae. To-
tus in his in primis, quae ad **DEI** bonitatem ac iustitiam vindicandam per-
tinent,

tinent, est illustris LEIBNITIVS in *tentam. Theodicaeae*, in qua tamen, quae a *Stoicis* accepit, mihi quidem nondum satis explorata videntur.

§. LXXXV.

Scripta sacra haec, quae diximus, saepius repetunt atque confirmant, teste experientia. *Modum creationis* quoque quadam ratione magis definiunt, sed plurima non aperiunt, adeoque maximam partem ignotus est (f. 11.). Idem dicendum de *conseruatione*. *Rationem*, cur in contentione hoc vel illud praetulerit DEVS, saepe, sed non semper, distinctius determinant. Plerumque ergo ignota est (f. 11.). *Plures* quoque scripta sacra adferunt DEI *actiones*, quarum in philosophia non est principium cognitionis, teste inductione; hae ergo ex scriptis illis tantum cognoscendae sunt. Huius generis sunt ipsa singularis et *supernaturalis* dicta *patefactio* (§. XLIII.), ita dicta *praedestinatio* (Rom. VIII, 29. sq.), *reprobatio* (cap. VIII, 22.), *regeneratio* (Io. I, 12. sq.), *iustificatio* (Rom. VIII, 33.), *renouatio* (Phil. I, 6.), *resuscitatio mortuorum* (Io. V, 21.), *saluatio* (Io. III, 16.), et *damnatio aeterna* (Matth. X, 28.), et quae aliae dantur. Sunt actiones atque sic res, ad quas accommodari possunt, quae ontologia tradit (§. LXIII. sqq.). Sunt ergo *possibiles*, non *impossibiles* (f. 1.). Excogitari quoque potest *modus* illarum *possibilis*, sed plures dantur (§. XLIII.). Generatim etiam quodam modo ille definitus, sed speciatim nullus determinatus est. Illustrari quoque illae actiones possunt quadam *similitudine*; sed accurate non explicari.

Obs. Illustrare conatus est CONNORIVS l. c. art. XIII. *resuscitationem mortuorum*.

§. LXXXVI.

Quae autem in primis admiranda, sunt magna illa *mysteria*. DEVS pater genuit filium (Ps. II, 7.) ab utroque procedit spiritus sanctus (Matth. X, 20. Gal. III, 6.), tres realiter distinctae

distinctae personae, vnius eiusdemque essentiae (1 Io. V, 7.). *Filius DEI quoque homo factus est* (1 Tim. III, 16.); ab conjunctione illa singulari et arctissima vtriusque naturae deinde multa alia eiusdem generis pendent, ad quae referri quoque potest *praesentia corporis Seruatoris nostri in sacra coena*. In re ipsa, atque sic in philosophia, nullum inuenitur principium cognitionis horum *mysteriorum*, neque modi eorundem, teste inductione; haec ergo in philosophia non sunt inuestigabilia (§. XLVIII.). Sunt itaque eius generis res, de quibus idem statuendum, quod propositum in praecedentibus (§. praeced.).

Obs. Illustrare quoque studuit idem vir e. c. *generationem Christi, l. c. art. XI. et qua ratione corpus Seruatoris nostri in sacra coena praesens esse queat art. XIII. sed specialem modum excogitatum aperire noluit.*

§. LXXXVII.

In *philosophia morali* restricto sensu dicta et voluntas hominis et eius emendatio considerari potest (instit. moral. p. 3.). De illa iam differuimus (§. II.). Quod ad ipsam attinet *emendationem illius*, ea voluntatem subsidiis et viribus naturalibus a propensionibus et adfectionibus immoderatis liberat, et has in ordinem redigit (ibid. p. II.). Ordo hic absoluitur amore ordinato (ibid. p. 65.), et eius generis studio actiones ad leges et prudentiae dirigendi regulas (ibid. p. 67.). Experientia nos docet, eam vteunque voluntatem corrigere, plane vero non emendare (ibid. p. 12.).

§. LXXXVIII.

Scripta sacra haec quoque repetunt, sed addunt subsidia alia, *fidem* qua Seruatorem amplectimur, et *vires spiritus sancti*, adeoque *supernaturales* dictas, quibus interuenientibus voluntas plane in melius vertitur (ibid. p. cit.). Horum vero in philosophia non est principium, teste experientia; haec ergo non perspicit ratio (f. II.).

Obs. Confirmabunt haec, quae theologi de *conuersione* loquuntur.

H

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

In *iure naturali* leges traduntur naturales. Quales illae sint ex praecedentibus intelligitur (§. XXIII.). Plurimas quoque repetunt scripta sacra, sed addunt etiam ita dictas *positivas*, vel *uniuersales*, vel *particulares* *. Harum in re ipsa et philosophia non datum est principium; has ergo ignorat philosophia (f. II.).

Obs. Has omnino dari PRAESES dedita opera confirmavit in *trutina Europae cap. II. §. 4. sqq.* addantur quoque *observ.* Pufendorf. p. 116. sqq.

§. XC.

Prudentia tradit regulas prudentiae (instit. prud. p. 4.). Has cognoscimus ex iis, quae res circumstant et vel *favorabilia* sunt, vel *minus* (ibid. p. II.). Sed omnino scripta sancta et multas repetunt, et alias adiiciunt, ut lectio illorum nos docebit.

§. XCI.

Consentire dicuntur in sensu aiente, quae plane eadem sunt; in sensu vero negante, quae aliis non contradicunt. Iam autem scripta sancta vel eadem repetunt, quae ex re ipsa cognoscuntur (§. LVI. LXXIII. LXXVII. LXXX. LXXXIII. LXXXVIII. sqq.), vel alia quidem adferunt, quae tamen illis non contradicunt (§. XLIII. LVIII. sqq. LXXV. LXXVII. LXXX. LXXXIII. LXXXV. sq. LXXXVIII. sqq.). *Consentiunt ergo utroque modo res ipsa, philosophia et ratio, cum rebus supernaturali dicto modo patefactis, theologia et fide* (f. II. *). Atque sic adhuc alio argumento confirmamus hanc sententiam (conf. §. XLIII.).

Obs. Hoc volunt viri docti, qui statuunt, *unam tantum esse veritatem*, quem locum dedita opera tractavit ALBERTVS GRAVERVS de *unica et simplici veritate*. Conf. LEIBNITIVS *l.c.* §. 60. et 63.

§. XCII.

Si fides non contradicit rationi (§. cit.), sed consentiunt (§. praeced.) falsa erit opinio eorum, qui adfirmant, *rationem esse contrariam fidei, aut hanc illi* (f. II.).

§. XCIII.

§. XCIII.

Quia tamen praeter ea, quae repetunt sacra scripta, haec quoque alia continent, ab illis diuersa (§. XCI.); *distinctae erunt res, ratio et fides* (f. II.).

§. XCIII.

Et quia, quae addunt scripta sacra, non ex principio naturali (§. XLIII.), sed supernaturali dicto, cognoscuntur (§. cit.) proxime ab infinita DEI vi profecta sunt (§. LXXVII. sqq.), quae longe superat ea, quae naturali modo naturalibusque viribus fiunt, et quae philosophia atque sic ratio tradere solet (§. LVIII.) omnino adfirmare possumus, *quae speciatim fidei sunt, esse supra rationem* (f. II.).

Obs. Recte hanc defendit sententiam illustris LEIBNITIVS l. c. §. 23. Sed non recte definit ea, quae supra rationem esse dicuntur. Verba eius sunt: *Une verité est au dessus de la raison, quand nôtre Esprit (ou même tout Esprit créé) ne sa sauroit comprendre.* His subiungit varia exempla. Sed secundum rei veritatem plane aliae sunt notae eorum, quae supra rationem sunt (§. praec.). Deinde multa in ipsa physica eodem fatente (§. v. et LIII.) penitus comprehendere non possumus (§. LXXVI.), quae tamen non supra rationem, seu philosophiam, dici possunt.

C A P V T III.

DE

IIS, QVAE A VERA ET RECTA COMPARATIONE PROPIVS ABSVNT, VEL LONGIVS RECEDVNT.

§. XCV.

IN comparatione vera et recta rationis et fidei veras de his notiones habere debemus et comparationem illarum recte instituere (§. XXXVII. sqq.). Quae ergo his non sunt congruentia, a vera et recta comparatione rationis et fidei recedunt (f. II.).

§. XCVI.

Quae a regula discrepant, teste experientia, suos habent

H 2

bent

bent *gradus*; quaedam ergo propius absunt, quaedam longius recedunt (f. II. *). Non omnia, sed quaedam tantum, iam adferre animum induximus.

Obs. Notum hoc est ex principiis iuris naturalis. Vide PRAES. *observ.* Pufendorf. p. m. 225.

§. XCVII.

Agnoscit illustris LEIBNITIVS (l. c. §. I.) ad vnum venire exitum, qui *consensum rationis et fidei*, et qui *usum philosophiae in theologia*, ante oculos proponere volunt. Per *fidem* ergo totam *theologiam*, et per *rationem* significare deberet totam *philosophiam* (f. II.), atque sic recte se res haberet (§. xv.). Sed *fidei obiectum* ita dictum vocat *veritatem a DEO modo extraordinario patefactam*, eamque ad experientiam referre vult (ibid.) inesse in ea tantum *moralem dictam* statuit certitudinem (ibid. §. 5.). *Rationem* vero appellat *catenationem* (l'enchainement), seu, vt iam loquuntur, *nexum, veritatum, speciatim, si comparatur cum fide, illarum, quas mens humana naturali modo intelligere potest sine lumine fidei* (ibid.). Addit quoque hac significatione quandoque *rationem* opponi *experientiae*; et eandem appellat *rationem puram*. At per hanc intelligit non intellectum purum consueta significatione (§. III.), sed cognitionem distinctam, quae experientiae et sensibus opponitur (per praeced.); per hos ergo intelligit, non quidem sensus secundum usum loquendi (§. VIII.), sed perceptionem rerum singularium (f. II.). Adfirmat quoque non obscure, harum controuersiarum normam esse *notiones communes* (§. LXXIII.).

Obs. I. Sequitur hac in re *physicos recentiores*, qui statuunt, *res physicas* cognosci *experientia et ratione*. Vide IO. CHRISTOPHORI STURMII *phys. hypoth. praelimin. art. I. §. 6.* seu, vt alii, *sensibus et ratione*. Vide SCHEVCHZERVUM in *isag. phys. §. 5.* Hi autem per *experientiam* intelligunt sensationem singularium factorum, quae *sensibus* percipiuntur; per *rationem* autem *ratiocinationem*, qua ex prioribus aliae veritates, in primis *vniversales*, concluduntur. *Experientia* vero et *ratio* sunt diuersi tantum modi cognitionis, vt

quilibet

quilibet intelliget, rem ipsam accurate expendens; non ergo sunt principium cognitionis physicae, nec philosophiae (f. II. coll. §. LXXVI.), nec ipsa sunt philosophia, adeoque nec ratio cum fide comparanda (f. II. coll. §. XXXVIII.). Deinde ratione, quam secernunt ab experientia, tantum conclusiones physicae, atque sic etiam philosophiae, efficiuntur, quae pars sunt physicae, atque sic etiam philosophiae; non ergo tota physica, nec philosophia perspicitur (f. II.), quae tamen tota vera ratio est, cum fide comparanda (§. XV.). Perspexit hoc ipse illustris LEIBNITIVS; hinc addit, rationem, consistentem in catenatione veritatum, iure adiungere etiam eas, quas experientia cognoscimus (ibid.). Catenatio et nexus veritatum tandem etiam in theologia est (§. XIII.), atque sic in fide (f. II.), atque sic ratio a fide recte non secernitur (f. II.), nec cum ea recte comparatur (f. II. coll. §. XXXVIII.).

Obs. II. Quod ad fidem attinet, ea in comparatione nostra tota est theologia (§. XV.); conflatur ergo ex omnibus veritatibus, quae non solum extraordinario, sed etiam supernaturali dicto modo, patefacta sunt (§. LVIII.). Quibus DEVS optimus haec patefecit, in iis quidem aliquid fuit, quod experientiae simile est naturali (§. cit. obs. adi.). Qui etiamnum illuminantur verbo DEI (§. LVIII.), et efficacia illius conuincuntur (§. LX.) tale obseruant. Experientia spiritali dicta quoque multa suo modo confirmantur. Sed fides in comparatione nostra tota est theologia (§. XXXVIII.); huius veritates plerumque ex aliis concluduntur, atque sic non ad experientiam pertinent (f. II.), sed ad ea, quae interueniente nexu, quem auctor illustris rationem vocat, intelliguntur (f. II.), fidem ergo ad experientiam accurate referre nequimas (f. II.). Quando etiam fidem tantum fundare videtur motiuis dictis credibilitatis, atque hinc ei tantum moralem tribuere dictam certitudinem (§. V. et XXVIII.), vero non adfert congruentia: sed et hic et alibi (§. I.) admittit omnino illam spiritus sancti efficaciam, et fidem diuinam.

Obs. III. Quando LEIBNITIVS postulat a BAYLIO (§. LV.), vt notiones communes vt normam nostrarum controuersiarum admittat, per illas dubio procul intelligit notiones Ontologiae, Logices et Geometriae (§. II.). Alibi autem demonstratum est, rem ipsam esse normam controuersiarum philosophicarum, (vide disput. cl. M. HENRICI moderante praeside hac de re habitam). Si ergo notiones illae communes rem ipsam repraesentant; hoc modo etiam norma erunt controuersiarum, quoad illam repraesentant (f. II.), sed rem tantum generatim considerant, non speciatim (§. LXI.); ante ergo constituuntur (§. LXXIII. obs. I.), atque ideo in controuersis nihil pro vero habendum, quod illis sit contrarium (f. II.), specialia vero non determinant (§. LXXV.) in his ergo controuersiarum norma non sunt (f. II.), multo minus in rebus supernaturali modo patefactis (f. II.). Vt ergo in nostra comparatione inter se conferuntur res ipsa et scripta sacra (§. XXXVIII.); sic vtraeque res quoque norma nostrarum controuersiarum erunt (f. II.).

Obs. IIII. Quilibet vero etiam perspicit a re ipsa propius abesse LEIBNITIVM; quem ad modum quoque infitias ire non possumus, multa eum accurate

curate dicta in medium proposuisse, et ab iis vindicasse, quae perperam obiecit BAYLIUS.

§. XCVIII.

BAYLIUS autem exemplo suo confirmat, *rationem*, per quam intelligit intellectum (ap. LEIBNIT. l.c. §. 63.), et maxime dictam phantasiam, magis aptam esse ad refellendum, quam ad confirmandum (ibid. §. 46. et 80.). In scriptis enim ingenium suum magis exercuit aliis occurrendo et obiiciendo, quam demonstrando; hinc etiam inter alia *consensum rationis et fidei* dubium facere conatus est. Ex animo quidem hoc fecisse, non fateri vult (ibid. §. 84. sqq.); vrget tamen magna contentione, *rationem obiicere posse fidei, ad quae respondere non possimus* (ibid. §. 24. sqq. et 71.); *rationem ergo non quidem DEI* (ibid. §. 61.), sed *humanam contrariam videri fidei* (ibid. §. cit.). In multis exemplis non concipi posse *iustitiam DEI* (ibid. §. 4.), *nec praedestinationem* (ibid. §. 24.), non cohaerere *permissionem peccati* cum bonitate DEI (ibid. §. 32.). *Notiones communes* non agnoscit *normam iudicemque nostrarum controuersiarum* (ibid. §. 55.). Victoriam reportare fidem, si rationis vsus plane reiiciatur (ibid. §. 46.). Atque tum demum *rationem et fidem* inter se consentire, si ratio in rebus fidei *causam* adferre, et, *quo modo* hae fiant, ostendere posset (ibid. §. 60.).

Obs. I. Ratio BAYLIO est intellectus humanus (§§. cit.), contra ea, quae confirmauimus (§. XXXVIII.); hic omnino nihil cognoscere potest, cuius non datum est principium speciale cognitionis (§. XLVI.); perperam ergo tribuit quoque intellectui infirmo, quod defectui principii illius tribuendum est (f. II.). Duae ergo hae opiniones falsae sunt (f. II.). Et, quia ex his ceterae opiniones fluunt, teste inductione; haec *prima* dici possunt *falsa* (f. II.).

Obs. II. Quid BAYLIO sit *obiectio inuincibilis*, aut eiusdem generis *difficultas* (ap. LEIBNITIVM l.c. §. 3.), non satis explanauit. Si intelligat, *rationem et modum* eorum, quae singulari patefactione innotuere, non cognoscere posse intellectum humanum, hoc concedimus (§. XLIII. LXXVII.). Sed ex eo tantum concludimus, dari incognita (§. XLVIII. sq.); non ideo vera ratio erit contraria fidei (§. XCII.). Si indicare velit, ea, quae singulari modo patefacta sunt, esse *impossibilia*, nulla in re ostendet contradictionem (§. LXX.).

Si

Si innuat, quae fides patefecit, non posse ex legibus naturalibus vel corporis, vel animae deriuari, hoc facile damus (§. LXXVII. sqq.); sed ideo vera ratio fidei non erit contraria (§. XCII.), potius ex eo concludimus, fidem plane alia aperuisse, quam ratio tradit (§. XCIII.). Si vero obiiciat fidei vel *similima veri*; cum fides sit certa (§. XIII. et LX.); atque cognitio certa praefenda habeatur vero simili (per princip. Log. p. 28. coll. §. LXXVIII.): illa huic cedere debent (f. I.).

Obs. III. In ceteris saepe rei ipsi contradicit, quando *consensum rationis et fidei* longius, quam par est, profert (§. XCI.) *rationesque communes* nullo modo normam nostrarum controuersiarum statuere vult (§. XCVII. obs. III.) *victoriam fidei* tum demum tribuit, quando plane contemnit rationem (§. XLV. sqq.). Et sibi ipsi impedimento est, quo minus *iustitiam et bonitatem DEI, permissionemque peccati*, et alia huius generis, suo modo intelligat, quia ea, quae in contentione fiunt, non secernit ab iis, quae extra eam fieri solent (§. LXXXIII.). Quod speciatim ad *permissionem peccati* attinet, quia ab esse ad posse esse valet consequentia, vt loquuntur metaphysici (§. LXVII. obs. II.) illustris LEIBNITIUS (l. c. §. 35.) recte infert, DEVS permisit illa, ergo permittere potuit. Sed addimus quoque hoc argumentum. DEVS sapientissimus ac sanctissimus ob rationes procul dubio ad suum facientes honorem, procreauit res creatas, etiam liberas, vt speciatim quoque ex his cognoscatur eius existentia et libertas (per princip. theol. nat.). Illae terminos habere debent (instit. ontol. p. 25. sq.), et non omni perfectione instructae esse possunt (f. II.). Liberae speciatim sua natura etiam possunt se conuertere a bono vero ad bonum, quod ita modo videtur (per princip. moral. in instit. moral. p. 33. sq.) possunt vero etiam bonum verum huic praeferre, quem ad finem DEVS omnia subsidia ipsis submisit (ibid.). Res ergo creatae liberae suo arbitratu et sua culpa a vero bono se conuerterunt ad aliud, quod ita videtur (f. II.). Non ergo DEVS tam permisit peccata, quam tantum ad prouehendum suum honorem procreauit rem creatam liberam, quae deinde suo arbitratu et culpa sua contra legem a bono vero ad id, quod ita videtur, et quod in se malum est (per princip. moral.) se vertit. Maius erat eius generis rem ad honorem illum summum procreare, quam non producere tam versatilem (f. II.). Leges ergo contentionis hoc postulabant (f. II. coll. §. LXXXIII.).

§. XCVIII.

Interpres bibliorum Werthemiensis multa tradit rei ipsi congruentia *de rebus physicis*, et iis, quae singulari ratione patefacta sunt (praefat. p. II. et 14. coll. §. LXXVI. sq.), *de DEO* item (p. 12. sq. coll. §. LXXXIII.). In *moralibus* multa accepit ab aliis, quae a re ipsa non plane aliena sunt (p. 19. coll. §. LXXX.), et quae eius generis adhuc alia (p. 16. et alibi)

alibi) sunt. Sed quia nexus veritatum ipsi est *ratio* (p. 10.) non rectam de eadem habet notionem (§. XXXVIII. et §. XCVII. obseru. 1.); ex quo deinde multa pendent alia. *Consensum fidei et rationis* ponit in eo, quod veritates singulari modo patefactae ad *σύστημα* veritatum philosophicarum reducendae, atque sic ex principiis philosophiae etiam deriuandae sint (p. 10.), quod quidem in ita dictis *articulis fidei mixtis* quodam fieri potest modo (§. XCI.), non autem in dictis *puris* (§. XLIII.), in quibus sufficit, veritates fidei non contradicere principiis rationis (§. cit.). Quia etiam veritates fidei purae tantum ex scriptis sacris intelligendae sunt (§. LVIII.), nullumque principium speciale illarum in philosophia datum est (§. XLIII.); pagani (p. 7.), quorum vitia intellectus (§. XLVII.) ceteroquin etiam nota erant, vel acutissimi (p. 8. sq.) non poterant a viris *θεο-ωνέυσοις* postulare, vt reducerent veritates fidei ad opiniones illorum (f. 11.), rationesque illarum ex philosophia deriuatas redderent (f. 11.). Idem quoque ob parem rationem adfirmandum erit de viris hodieque acutissimis dictis (f. 11. coll. p. 9. seq.).

§. C.

Experientia nos docet intellectum, quamuis finitus sit et terminos suos habeat, si principium speciale adsit ceteraque praecepta Logices obseruentur, veritatem optime cognoscere posse; termini ergo illius non sunt causa non inuestigabilium (f. 11.), nec quod remota sint haec a veritatibus iam cognitae (f. 11.), sed principii defectus causa est (§. XLVIII.) Accipimus ergo spem futuro tempore cognoscendorum, sed si principium cognitionis speciale adsit, non autem in viribus intellectus reponere eam possumus (§. LI. sq.); aliam ergo spem non facile confirmabit interpret (p. 15.). Damus eidem, si principium illud adsit, non recte facere eos, qui
taedio

taedio nouae curae necessarias vtilisque veritates non inuestigant (§. LIII.), sed sine illo, si a paucis discesseris (§. XLVI.), temeraria quoque erit inuestigatio (ibid.), quod merito attendet interpret (p. cit.). Et quia demonstratum est, rerum supernaturali dicto modo patefactarum in philosophia non datum esse principium speciale cognitionis (§. XLIII.), non aegre feret (p. 15.), nos hac de causa omnibus hominibus, etiam acutissimis visis, denegasse illarum cognitionem ex principiis philosophiae (f. II.). Hoc etiam ob parem rationem de illis statuendum, quarum *modum* et *causam* neque res ipsa, neque supernaturalis dicta patefactio, nobis aperuit (f. II. coll. §. XLIII. LXXVII. LXXXV.). Consilium auctoris (p. 15. sqq.), vt non determinemus, quae supra rationem sint (§. XCIII.) non probandum est (§. cit.). Quantum vero *rationes* et *propositiones arbitrarias* (p. 17.) accipere possimus, definiuimus in praecedentibus (§. XLIII. LXVIII. obs. VII.). Quae de *examinanda veritate cuiusdam historiae* differit (p. 10. sqq.), ad hominum pertinent relationem (instit. Log. p. 23. sq.), sed in historiis supernaturali modo patefactis alia, et firmiora, iacta sunt fundamenta (§. LX.). Quae de *methodo* adfert praefationis auctor (p. 21. sqq.), ita accipimus, vt non negemus *seriem veritatum fidei* (§. XIII.), *vtilem* quoque eam agnoscamus (§. LX.); *conuictionem* tamen ipsam non niti μεθόδῳ, sed aliis argumentis, statuamus (ibid.); adeoque non tam necessariam esse eandem, atque in veritatibus plerisque philosophiae obseruatur (§. LIII.).

§. CI.

Quod ad *interpretationem* attinet, non negligere quidem debemus notiones et ideas aliorum (p. 23.), magis tamen versamur in intentione loquentium ac scribentium inuestiganda, quam per *σχοπὸν* cuiusdam loci indicare voluer; et quem *primum ac solide patefacit id, quo tendunt verba eiusque significationes ceteraeque circumstantiae consentientes* (instit.

(instit. Log. p. 172.). *Lingua*, qua aliquid loquens aut scribens usus est, constat ex *verbis dicendique formulis, harumque significatione* (ibid. p. 146.). Cuncta haec vel ex usu vitae communis, vel optimorum scriptorum lectione cognoscenda sunt (ibid.). Et quia omnia intentioni illius auctoris ac *σνωω̄* accommodata, etiam notiones et iudicia cum verbis illis sunt copulata; haec accurata diligentia inuestiganda (f. II.) non propria, aut aliorum, inferenda (f. II.). Ex quo simul perspicimus, quantum definitiones arbitrariae adhibendae sint (f. II. coll. §. LXVIII. obs. VII.). Haec ergo praecipua fundamenta interpretationis sunt (f. II.), ad quae dirigenda quoque interpretatio scriptorum sacrorum (f. I. coll. §. LVI.). Sed addenda quoque subsidia supernaturalia dicta (§. LVIII. et sq.). His ergo examinanda quoque ab interprete nostro adlata (p. 23. sqq.).

§. CII.

Si verum loci cuiusdam sensum inuestigauimus, aliisque ille explanandus est, *verbis omnino illis fieri debet, quae σνωω̄ et sensui, verbisque auctoris cuiusdam plane respondent* (ibid. p. 185. sq.). Ut ubique in contentione magis necessarium minus praefendum necessario (instit. iur. nat. p. 76.); sic in contentione verba clara potiora esse debent elegantioribus (f. I.). Quia etiam sermo magis nocere, quam prodesse potest, si claris et distinctis definitionibus quarundam rerum libidinem excitamus; aut obscenum quid detegimus; has potius omittere debemus (f. II. *), qua in re nobis ipsa scripta sancta exemplo sunt (1 Sam. XXIII, 4.). Quando verba diuina conuertimus in verba hominum; haec, teste experientia, numquam tam accurata sunt, quam illa; numquam ergo utrorumque idem sapor, ut loquitur interpres, esse potest (f. II. **).

Obs. I. CICERO lib. I. offic. cap. XXXV. hic in primis legendus est.

Obs. II. Notum est illud poetae: *Dulcius ex ipso fonte libuntur aquae.*

§. CIII.

Haec et alia fusius disputari possent; sed, quae nos circumstant, impedimento sunt; forte alia dabitur occasio. In hac commentatione rem ipsam et scripta sacra sequi voluimus (§. XVI. et XXXVIII.). Si ergo quid his contrarium deprehendatur; neque dictum sit, neque scriptum!

S. D. G.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

IO. CHRISTIANO KOEHLERO

PHILOSOPHIAE MAGISTRO DIGNISSIMO

S. D. P.

IO. IAC. LEHMANN.

EX quo, VIR CLARISSIME, iterum in academi-
miam nostram reuersus es, laudabilis pla-
ne finis TIBI propositus fuit, vt utilissimis
nempe TE augeres scientiis. Quae TE circum-
stetere, non permiserunt quidem, vt plane vacuus
esses ab istis laboribus, qui ad erudiendam fa-
ciunt iuuentutem; sed tamen omne, quod su-
per fuit, tempus in studiis accurata tractandis di-
ligentia consumpsisti. Philosophiam, quae theolo-
giae valde studiosis magnum adferre solet adiu-
mentum, adspernari, contemnere et negligere,
qui peruersus multorum est mos, nefas esse pu-
tasti. Linguam Hebraeam Graecamque probe
nosse, quod versantibus sacris in scriptis inter-
pretandis subueniant mirifice, TVVM credidisti
esse munus. Studia vero theologorum cum
maxime recolere, disputandoque etiam in iisdem
TVVM priuatos intra parietes exercere voluisti in-
genium, atque saepius publice, plaudentibus aliis,
sermone habuisti sacros. His laboribus adhuc
feliciter exantlatis, cum etiam e re TVA fore TI-
BI haberes persuasum, qui petitis TVIS honestis
deesse

deesse noluit, summos in philosophia TIBI decreuit, atque etiam detulit, amplissimus philosophorum ordo honores. Ante vero quam hoc fieret, publica prius contentione quoque ostendere voluisti, quid TVI valeant humeri, quidue ferre illi recusent. Materia disputationis iis, quae hodie nos circumstant, plane accommodata; sed non minus grauis, quam utilis, est. Non refugisti laborem, promte potius ac perspicue, quae meditatus es, verbis exprimere, atque deinde magis expolita studuisti defendere. Omnes isti labores omnino laudabiles sunt ac praedicabiles; et vt, iudice Symmacho, maiores sapienter aedes honori atque virtuti iunctim locarunt, vt perspicerent mortales, vbi labores meritaque virtutis, ibi quoque praemia esse honoris: ita, quod commenti sunt illi, in TE videmus esse vera. Vt itaque multi TE accepere gratulantes; sic harum rerum fere omnium testis non potui non acclamare illud: *feliciter!* Quo itaque inceptis euentus pares, atque haec et alia cuncta TIBI sint felicia, fausta fortunataque, coetuique non minus sacro, quam erudito, utilia, DEVM semper precabor ac venerabor. Dabam e Museo, ipsis idib. Iun. A. O. R.
cId Idcc xxxviii.

* * * * *